Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Quaestiones nonnullae ad Atheniensium matrimonia vitamque conjugalem pertinentes

https://hdl.handle.net/1874/272931

A 4° 192. 1920

QUAESTIONES NONNULLAE AD ATHENIENSIUM MATRIMONIA VITAMQUE CONIUGALEM PERTINENTES.

J. J. B. MULDER.

QUAESTIONES NONNULLAE AD ATHENIENSIUM MATRIMONIA VITAMQUE CONIUGALEM PERTINENTES.

Diss. Utrecht 1920

QUAESTIONES NONNULLAE AD ATHENIENSIUM MATRIMONIA VITAMQUE CONIUGALEM PERTINENTES.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI H. VISSCHER, THEOL. DOCT. ET IN FACULTATE THEOLOGIAE PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA RHENOTRAIECTINA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET JEANNETTE JOHANNA BERTHA MULDER ZWOLLENSIS DIE VII MENSIS IULII ANNI MCMXX HORA III.

UNIVERSITEITS BIBLIOTHEEK
UTRECHT

TRAIECTI AD RHENUM, APUD L. E. BOSCH ET FILIUM TYPOGRAPHOS.

Ad metam cursus academici cum perveni, facere non possum quin grato animo eos viros commemorem, qui in me erudienda operam collocaverunt. Imprimis dulce mihi officium est Tibi, clarissime Bolkestein, honoratissime promotor, ex animi sententia gratias agere, qui mihi, ex quo tempore in argumento huius libelli versabar, semper favisti neque unquam desiisti magnis Tui ingenii et doctrinae copiis mihi prodesse. Benevolentiam quam in me conferre voluisti maximi semper faciam neque fieri potest ut ea iucunda tempora quae in umbraculo tuo egi obliviscar. Secundo loco Te, clarissime Damsté, qui tot per annos studiis meis adfuisti, nominare volo. Cum longum sit hic omnia commemorare quae tibi debeam, hoc tantum dicam me cum Tuam accuratam institutionem tum amicitiam Tuam semper grato animo recordaturam esse. Vos, clarissimi viri Vollgraff Sr. (†), Van Gelder, Ritter (†), Ovink, Obbink, Rutgers van der Loeff, quod egregia vestra doctrina studium meum excitavistis memoria tenebo. Denique te, doctissime van Hoorn, hoc loco abesse nolo; tu libentissime magnaque rerum scientia mihi, quod ad partem archaeologicam huius libelli attinet, adfuisti.

AMITAE CARISSIMAE

φιλίας ἕνεκα.

HUIUS LIBRI ARGUMENTUM.

p.
INTRODUCTIO .. .. 1—4

CAPUT I.

De Graecorum aetate nuptiali.

Quaeritur an leges Athenienses aetatem nuptialem constituerint . .. . 5—7
Quae genera indiciorum ad aetatem nuptialem cognoscendam adferri possint:
A. Platonis Aristotelisque sententiae de aetate nuptiali 7—18
B. Quam aetatem Hesiodus et Solon ad matrimonium ineundum aptissimam iudicaverint .. .. 18—20
C. De exemplis e vita cotidiana desumptis quae nobis ad aetatem nuptialem cognoscendam praesto sunt . .. .. 20—28
De causis quae viros moverunt ut provectiore demum aetate matrimonium inirent .. .. 28—34
Quid secutum sit e matrimonio tam provecta aetate a viris, a virginibus vero tenerrima aetate inito.. .. .. .. 34—41.

CAPUT II.

De causis quae viros Athenienses ad matrimonium moverunt.

Quae causae in universum viros moverint ut uxorem ducerent.
§ I. Primarium locum obtinet prolis desiderium. .. .. 42—51
Cur ea progenies a viris adeo ardenter exoptata sit:
A. De pietatis religionisque ratione.. .. .. 51—55
B. Rei publicae magno civium numero opus erat ad patriam defendendam .. .. 55—58
C. Graeci liberos desiderabant ut, ubi ipsis ad victum quaerendum vires non amplius sufficerent, haberent quorum auxilio opibusque vitam sustinere possent .. .. 58—68

p.

D. De felicitate et gaudio quae liberi parentibus praebere possunt .. .. 68—78
§ II. Uxorem viri habere cupiunt quae domum custodiat 78—87
§ III. De rationibus sublimioribus quae viros ut uxorem ducerent moverunt
a. Quid de domestica felicitate monumenta literaria nos doceant . .. . 87—91
b. Felicitas quam amor coniugalis praebere posset rarissime tantum viros, ut uxorem ducerent movisse videtur 91—98
Quid de adulterio iudicaverint Athenienses .. .. 98—101
Quae peculiares rationes viros in coniuge eligenda moverint 101—104
De digamia 104
Quantam in matrimonio ineundo dotis rationem habuerint Athenienses .. .. 105—107
Rarissime accidisse videtur ut mulieres non nuberent .. 107—109
Virginitas perpetua apud Graecos magno honore non erat 109—110
De caelibatu virili .. .. 110—112
De continentia temperantiaque in naturali amoris desiderio 112
Quaeritur an leges Athenienses δίκην ἀγαμίου noverint 112.

CAPUT III.

De numero liberorum.

Quid scripta quae ad rem non proprie attinent de numero liberorum docere possint . .. . 113—115
Quae testimonia directa apertaque ad numerum liberorum cognoscendum nobis praesto sint. .. .. 115—123
Quid e stemmatis Prosopographiae Atticae cognosci possit 123—124
Qua de causa agricolae Athenienses parvum tantum numerum liberorum alere potuerint 125
Quid philosophi de numero incolarum putaverint 126
Zimmernii disputatio de nimia incolarum multitudine .. 126—128
De causis quas Zimmern attulit e quibus sequeretur ut numerus incolarum semper fere immutabilis maneret .. .. 128—130
Quae aliae causae forsitan liberorum numerum coercuerint .. .. 130—132
Quaeritur an medicamenta quibus numerus liberorum consulto coerceretur iam saeculo quinto et quarto nota fuerint 132
Leges Athenienses δίκην ἀμβλώσεως novisse non videntur 133—134.

CAPUT IV.

De virtutibus muliebribus.

p.

In quattuor genera virtutes muliebres dividi possunt .. 135

I. Quae virtutes mulierem in vita publica ornare visae sint 136—139

II. De virtutibus quae in matrona summa laude dignae habebantur .. .. 139—141

III. Quae virtutes in virgine laudabiles existimatae sint 141—145

IV. De virtutibus quae in universum mulieribus laudi ac decori haberi solebant . .. . 145—148

Quae virtutes mulieres ex inscriptionibus sepulcralibus cognosci possint .. .. 148—149

Quae virtutes non desideratae sint 150

Virtutes quas Graeci laudabiles putabant a nostratibus quoque antiquitus magni aestimabantur . .. . 151—152.

INTRODUCTIO.

Quaestiones nonnullas quae ad Atheniensium matrimonia vitamque coniugalem pertinerent, cum tractandas mihi proposuissem, difficultates se obtulerunt neque paucae neque parvae. Quarum pleraeque quamquam vix solvendae mihi videntur, tamen non inutile fortasse fuerit explicationem excogitare, ut incertissimam ita non improbabilem. Minus autem dubia res erat in ultimo libelli capite, in quo id unum egi, ut locos colligerem cum ex scriptoribus tum aliunde desumptos quibus docemur, quae virtutes maxime laudari solitae fuerint in virginibus, in matronis, in toto denique genere muliebri.

Circumscripta autem erat mea disquisitio artioribus finibus et temporum et locorum. Primum enim exclusis et aevo, quod in poesi epica descriptum Homericum vulgo dicunt, et aetate Hellenistica, continui me saeculo quinto quartoque ante Christum natum. Deinde in una terra Attica sum versata, ex qua sola ad nos pervenerunt indicia satis ampla satisque aperta; tacui de urbibus Graecis Asiae, ubi mores multo fuerunt solutiores, atque de Lacedaemoniorum republica, quae sua sibi habuit instituta.

Sed ne intra fines quidem tam angustos uberrimi nobis praesto sunt fontes. Immo vero, perquam sunt exiles, atque omnes fere laborant vitio quodam originis. Tenendum enim semper est in toto antiquitatis studio ea, quae tradita sunt tantum non omnia agere de hominibus

locupletiore loco natis: materiae pars longe maior sumenda est ex monumentis litterarum, quae omnino aliena sunt a vita moribusque hominum pauperiorum consulto describendis. Nonnihil auxilii hic adferunt oratores Attici, qui saepius aut apud iudices aut apud populum cotidianam hominum vitam tetigerunt, sed non nisi eam vitae cotidianae partem, quae versabatur circa iudicia atque rei publicae administrationem. Quis autem, ut hoc utar, plenam veramque nostrae aetatis hominum imaginem sibi fingeret, ratione tantum habita commentariorum iudicialium vel Publicorum Actorum?

Praeter oratores autem consului rerum scriptores (Herodotum, Thucydidem, Xenophontem), tragoediarum poetas (Aeschylum, Sophoclem, Euripidem), poetam comicum Aristophanem. Ex philosophis Platonem tantum et Aristotelem exploravi, ut cognoscerem, quam aetatem viris mulieribusque aptissimam iudicaverint et ad matrimonium ineundum — nam de ipso matrimonio vel in Re Publica non agitur — et ad liberos procreandos.

Nec nominibus solum distinguenda sunt haec scriptorum genera. Historici enim, ut ab iis incipiam, si munere suo bene sunt functi, hominum mores descripserunt tales quales re vera cernere sibi visi sunt; poetae contra, imprimis tragici poetae, perfectam quandam totius generis humani imaginem cum sibi ante oculos posuissent, ipsam hominum sui temporis vitam saepius neglexerunt; difficillimum certe est efficere, quatenus e terra ad caelum efferre τὰ τῶν δραμάτων πρόσωπα conati sint. Suntne pro veris feminis Graecis habendae Antigona, Electra, Medea?

Sunt qui dicant praesertim epicae poesi eos subnixos esse in femineis moribus describendis; ibi enim condici-

onem mulieribus liberrimam et honestissimam esse. Cf Eduard Meyer, Geschichte des Altertums, ubi legimus: „Sodann aber spielen im Epos die Frauen eine so bedeutende, ja nicht selten eine so dominirende Rolle, dasz das Drama an ihnen nicht vorbeigehen konnte. Das gehört zu den Momenten, durch die sich die Sagenwelt von der Gegenwart unterscheidet, so gut wie das Königtum. Aber es zwang die Dramatiker, sich mit den Charakteren und der Gedankenwelt der Frauen zu beschäftigen, so gut wie die Kunst die Idealtypen der Göttinnen schaffen muszte. Mit tieferem Verständniss für das Wesen der Frau hat das zuerst Euripides getan von dem Wilamowitz mit Recht sagt, dasz er das Weib für die Poesie entdeckt, oder richtiger wiederentdeckt hat." [1])

Sed poeta, ut figuras suas probaret, nonne ex parte certe aequalium suorum vitam sibi imitandam sumere debebat? Sic sculptores quoque, cum perfectam deorum imaginem in operibus ostendere sibi proposuissent, tamen homines cum quibus cotidie vivebant numquam neglegere poterant; traditum est, ut hoc afferam, Praxitelem in Venere Cnidia effingenda, Phrynen amicam suam pro exemplo habuisse. [2])

Nihilo magis ex scriptorum theoreticorum — philosophos dico — verbis sententiisque temere efficere licet, quales fuerint hominum quibuscum sub eodem caelo vixerint condiciones. Immo vero fieri potest, ut aequalium mores ipsis suis scriptis impugnent ac mutare velint. Valet hoc imprimis de Platone, minus autem de discipulo eius Aristotele, qui ingenio a poesi magis alieno

[1]) Ed. Meyer. Geschichte des Altertums. IV. § 445.

[2]) Athenaeus XIII. 591. a.

praeditus, ex media hominum vita exempla sua ducebat atque doctrinam componere conatus est aetati suae congruentem.

Cautissime igitur tota erat tractanda materia, cautissime erat argumentandum.

Materiam autem, qua usa sum magna ex parte iam ab aliis esse collectam permultosque locos, quos attuli in enchiridiis reperiri vix opus est dicere. Dispositio vero tota mea est; haud raro conata sum testimonia iam alibi collata ita componere, ut quasi sub nova luce posita viderentur.

CAPUT PRIMUM.

DE GRAECORUM AETATE NUPTIALI.

Permagni momenti esse novisse, qua fere aetate apud singulos populos matrimonia iniri soleant, iam multi exposuerunt; ut autem de aliis gentibus taceam adferre libet Leopoldum Schmidt, qui in libro „Die Ethik der alten Griechen" observat iam Graecos intellexisse, quantum ratio, quae esset inter utriusque parentis aetatem, valeret ad matrimonii propositum adsequendum; liberorum autem naturam habitumque eum spectare ex contextu apparet.[1]) Nec tamen de progenie tantum hic nobis cogitandum est: alia sunt quoque, quae pertinent ad hominum mores atque ad ipsam societatem humanam; quod quid sibi velit iam demonstrare conabor.

Tria autem indiciorum genera adhibui, cum inquirerem in aetatem, qua nuptias celebrari mos esset apud Graecos; sunt haec:

---

[1]) Leop. Schmidt. Die Ethik der Alten Gr. II. 165.

A. Sententiae a Platone et Aristotele prolatae, quorum ille in Re Publica et Legibus, hic in Politicis explicaverunt, quam aetatem et matrimonio ineundo et liberis procreandis aptissimam iudicarent.

C. Exempla e vita cotidiana desumpta in quibus distinguendum est inter:

I. Indicia directa. Sunt loci e monumentis litterarum, ubi aetas viri aut mulieris cuiusdam in matrimonio ineundo ipsis verbis nominatur.

II. Indicia minus aperta. Sunt haec:

a. indicia, quae inveniuntur et apud scriptores et in legibus publicis, e quibus coniecturam facere licet de aetate nuptiali.

b. indicia, quae pictores in nuptiarum imaginibus reliquerunt.

Medium autem locum inter utrumque genus tenent:

B. Dicta nonnulla Hesiodi et Solonis, poetarum mores aevi sui testantium, qui quamquam ab aetate, quae classica dicitur satis magno temporis spatio distant, tamen eorum quadamtenus rationem habere non abs re esse mihi visum est.

Antequam vero ad ipsum argumentum huius capitis transeo, breviter inquirendum videtur, an Atheniensium leges nuptialem aetatem et viris et mulieribus constituerint. Qua de re vix dubitari posse putaveris, sed ex libris, quos viri docti de iure Atheniensi scripserunt, apparet nihil certi notum esse. Sic legimus apud Beauchet: „Quant aux hommes, l'âge auquel ils peuvent contracter mariage concorde avec celui de leur majorité, c'est-à-dire avec l'accomplissement de leur dix-huitième année, époque à laquelle cessent soit la tutelle, soit la puissance paternelle et où ils sont inscrits sur le

ληξιαρχικὸν γραμματεῖον.[1]) Beauchet adfert locum ex libro, quem scripserunt Meier, Schoemann, Lipsius, ubi haec invenimus: „Wenn überhaupt die Attischen Gesetze irgend eine Bestimmung über das Alter gekannt haben, so ist an das Jahr (i. e. das 18te) als Minimum um so eher zu denken, da in dasselbe die δοκιμασία εἰς ἄνδρας, die Entlassung aus der Vormundschaftlichen Gewalt, der Anfang der Selbstverwaltung des Vermögens und die Eintragung in die Bürgerrollen fallen.[2]) Praeterea annotationem ex libro virorum doctorum Hermann-Blümner[3]), cui titulus est „Griechische Privataltertümer", laudat, ubi tamen nihil de aetate nuptiali dicitur.

Apparet igitur Beauchet pro certo habere, id quod nonnisi Lipsii coniectura nititur; ipse tamen Lipsius in recentissima editione mutata sententia haec scripsit: „Aus der Vertragsnatur der Engyesis folgt, dasz beide Kontrahenten mündig sein müssten, kein Bürger also die Ehe vor seiner Dokimasie schlieszen konnte, die nach erfülltem achtzehntem Lebensjahre erfolgte".[4]) Inde sequitur ignotum esse, an leges Athenienses aetatem nuptialem ipsis verbis indicaverint; e pactione vero, quae matrimonium praecedebat, colligere possumus viro dumtaxat aetatem duodeviginti annorum legitimam fuisse.

Ex Gortynia autem lege ὁ ἀπόδρομος ἡβίων ius uxorem ducendi habet;[5]) qua de re audiamus Kohler-Ziebarth: „Das Gortynische Gesetz unterscheidet streng zwischen

---

[1]) Beauchet. le Droit privé de la Rép. Ath. I p. 161.
[2]) Meier-Schoemann-Lipsius. Der Attische Process p. 504.
[3]) Hermann-Blümner. Gr. Privataltertümer p. 36, annot 1.
[4]) Lipsius. Das Attische Recht und Rechtsverfahren. II. p. 481.
[5]) VII. 35.

Mündigkeit und Groszjährigkeit. Der Mündige ist heiratsfähig (VII. 35) fähig zum Beweiszeugnis (IX. 45) fähig zur Adoption. (XI 19). Das Alter der Mündigkeit, ist wohl dem Alter der Mannbarkeit gleich und tritt also mit dem 14 (oder 16?) Lebensjahre ein".[1]) His igitur auctoribus viro Gortynio 14 aut 16 annos nato uxorem ducere licebat; notatu autem dignum est Lipsium voce „mündig" intellegere adulescentem 18 annorum Kohlerum-Ziebarthum vero adulescentem 14 (aut 16) annorum. Virginibus vero secundum Lipsium aetas nuptialis non erat definita, cum lege Gortynia puellae minus duodecim annos natae nubere non licebat.[2])

Iam transeamus ad ipsa indiciorum genera, quae supra discrevi.

A. Plato et Aristoteles.

Matrimonii in Republica Plato nullam facit mentionem propterea quod mulieres omnibus viris communes adiudicat; liberos procreare nonnisi hominibus aetate florentibus permittendum censet; quam aetatem mulieribus circumscribit annis XX-XL, viris annis XXV-LV; interdictum tamen est, ne quis particeps fiat τῶν εἰς τὸ κοινὸν γεννητέων neve omnino corpus iungat, nisi cui per magistratus liceat.

Iis contra, qui aetatis terminos egressi sunt, in contubernio vivere licet; liberos vero procreare vetantur; iniussu tamen legis si qui nati sunt, pauperrimorum loco sunt habendi, quibus cibum vestitumque praebere parentibus nefas est[3]) ὡς οὐκ οὔσης τροφῆς τῷ τοιούτῳ. Duris-

[1]) Kohler-Ziebarth. Das Stadtrecht von Gortyn. p. 56.

[2]) XII. 35. ὀπνίεσθαι δὲ (τὰν πατροιόκον) δυοδεκαϜετία ἔ πρείγονα.

[3]) Plato. Re Publ. 460 E—461 D.

sima profecto haec Platonis praecepta videntur hodierno lectori nam; cum Graeci homines corporis viribus debiles prae robustis neglegendos esse arbitrarentur, nostri temporis ars atque doctrina non solum id spectant, ut infirmorum vitam quam longissime producant sed etiam „to keep alight the feeble flame of life in the baseborn child of a degenerate parent" ut adferam verba doctissimi viri T r e d g o l d in libello „Eugenics and Future Progress of Man".

In L e g i b u s Plato senex cum alia multa ex duris Rei Publicae praeceptis mitigavit, tum mulierum communionem relinquendam esse intellexit. Hic igitur disputat de aetate nuptiali, quam viris intra trigesimum aetatis annum atque trigesimum quintum constituit; quibus annis si uxorem ducere neglexerit vir inde ab anno trigesimo sexto pecunia multandus est atque capitis deminutione puniendus. Quae omnia, ut necessaria esse sibi persuaderet Plato sic fere argumentatus est: immortalitatem toti generi humano debitam comparari non posse nisi nova semper hominum aetas veterem excipiat integra atque valida; singulos autem mortales nomen gentemque ad posteritatem propagare oportere; inertiam prae suo otio atque tranquillitate omnia contemnentem, qua caelibes haud raro laborant, eo inquinandum esse, quod a vitae publicae commodis plerisque arceantur. [1])

Sed redeamus ad locum e RePublica, ubi exponitur, quae hominum aetas liberis procreandis maxime idonea esse videatur; hoc autem unum spectandum esse arbitratur Plato, ut infantes nascantur quam validissimi. Quam ob rem hominum infirmorum proles et quidquid insoliti partus natum erit ἐν ἀπορρήτῳ τε καὶ ἀδήλῳ sepo-

---

[1]) P l a t o. Legg. 721 B. sqq.

nendum erit ὡς πρέπει. Liberi autem erunt communes omnium civium possessio; ipsi parentes non magis filios suos filiasque adgnoscent quam illi parentes.

Manifestum igitur est aetatem nuptialem utrique sexui Plato nonnisi ob causas eugeneticas constituisse, ut vocabulo utar hodie usurpato apud omnes qui harum rerum curiosi sunt.

Qui neque uxorem ducere sua interesse putat neque liberos procreare, is immortalitatis quoque erit expers. Quae omnia ex eo profluunt, quod in RePublica mulierum communio Platoni fundamento est, in Legibus vero gentis familiaeque imprimis rationem habet (μὴ ἀνώνυμον κεῖσθαι τετελευτηκότα) Hinc quoque explicandum est, quod senex Plato viro annos XXX-XXXV nato uxorem ducendam censet, cum antea iam adulescenti viginti quinque annorum liberos procreare permisisset.

Non prorsus tamen Plato in libris de Legibus sibi constituit, cum ageret de aetate nuptiali, quam e. g. p. 772D annis XXV-XXXV circumscribit; hic quoque praesertim liberorum saluti atque valetudini eum consulere voluisse ipsa verba ostendunt; sunt autem haec: ὁπότε τις οὖν καὶ ὁπηνίκα τῶν πέντε καὶ εἴκοσι γεγόνοτων ἔτη σκοπῶν καὶ σκοπούμενος, ὑπ' ἄλλων κατὰ νοῦν ἑαυτῷ καὶ πρέποντα εἰς παίδων κοινωνίαν καὶ γένεσιν ἐξηυρηκέναι πιστεύει, γαμείτω μὲν πᾶς ἐντὸς τῶν πέντε καὶ τριάκοντα ἐτῶν. In uxore igitur ducenda viri unam rei publicae salutem debent spectare, neglegere vero privatam vitae felicitatem et beatitudinem: verum esto unumquemque virum uxorem petere solere quam maxime moribus sibi similem, at tali animi inclinationi indulgere haud raro vetat publica salus. [1])

[1]) Plato. Legg. 772 D sqq.

Ad triginta annorum terminum deinde Plato rediit p. 785B, ubi virginibus aetas nuptialis circumscribitur annis XVI XX, viris annis XXX–XXXV; cum puellarum autem educatione rem coniunxit p. 833D, ubi certamina publica instituenda censet, quibus puella quoque interesse debeant usque ad matrimonii tempus legitimum, quod intra annos XVIII–XX sit positum.

Duobus igitur e Legibus locis Plato triginta annorum aetatem viris aptissimam esse contendit ad uxorem ducendam[1]; quae aetas ut observavit Constantinus Ritter in Commentario ad Leges, Platoni non solum ὅρος γάμου est, sed eodem discrimine etiam iuvenes a viris separat, ubi agitur de constituendis choris musicis; accedit quod idem annorum numerus magistratibus legitimus ei videtur.[2]) Quod autem alibi viginti quinque annorum aetate contentus est Plato, id idem Ritter sic explicat: „Nach 788D hält der Verfasser wohl in Übereinstimmung mit der herrschenden Ansicht die körperliche Entwickelung des Mannes für abgeschlossen (i. e. im 25 J.). Dagegen bestimmt er den körperlich Tüchtigsten eben von diesem Zeitpunkt an fünf Jahre strengen ländlichen Wachdienstes. Als φρούροι sind sie in ähnlicher Lage, wie in Athen die περίπολοι. Diese waren zwar als Epheben in das Gemeindebuch ihres Demos eingetragen, genossen aber doch nicht der vollen Rechte des Bürgers, hatten zum Beispiel auch zur Volksversammlung noch keinen Zutritt und waren noch nicht fähig eines eigenen Hausstand zu begründen.

Für die Differenz bezüglich des an verschiedenen

---

[1]) Plato. Legg. 721B. et 785B.

[2]) Const. Ritter. Platon's Gesetze, p. 52.

Stellen (785B und 833D) verschieden angegebenen ὅρος γάμου der Frau, weisz ich keine ähnliche Vermittlung".[1])

Equidem discrepantiam quam indicavi tribuendam potius censeo Legum compositioni parum sibi constanti atque lacunosae, de qua ipse Ritterus egit in Prooemio p. VII.

Venio nunc ad locum e Legibus, ubi agitur de aetate liberis procreandis legitima[2]). Hic spatium praescribitur decem annorum, ita ut viro aetatis annum quadragesimum quintum egresso patrem fieri non amplius licet. Luce autem clarius apparet hic quoque causam eugeneticam Platonem movisse, ut legem tam severam gravemque excogitaret; praeterea ne multitudo civium nimis augeretur eadem ratione prohibebatur. Sed et hic Plato a praeceptis in Re Publica datis recessit: ibi enim ab anno quinquagesimo quinto liberos procreare viris concessum non esse iam vidimus; quod tamen ita accipiendum est, ut addamus Rei Publicae magistratus, ubi necesse esse iis visum sit, interdicere posse, ne quis liberorum suorum numerum augeat, quoniam tota quae est inter utrumque sexum consuetudo iis sit mandata.

Transeamus ad Aristotelem, cuius de aetate matrimonio liberisque procreandis aptissima iudicium hinc praesertim pendet, quod ante omnia viribus corporis augendis consulendum esse ei persuasum est; deinde animo excolendo: quoniam autem magistratuum haec primaria est cura, ut liberi nascantur quam validissimi atque robustissimi, totum matrimonium assiduae eorum custodiae commissum est[3]). Duodeviginti autem annorum aetatem

[1]) l. c. p. 171.
[2]) Plato. Legg. 784B.
[3]) Aristot. Politica 1334 b. 25.

virginibus aptissimam indicat ad matrimonium ineundum, viris annorum septem et triginta. Verba eius sunt haec: *διὸ τὰς μὲν ἁρμόττει περὶ τὴν τῶν ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν ἡλικίαν συζευγνύναι, τοὺς δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα· ἐν τοσούτῳ γὰρ ἀκμάζουσί τε τοῖς σώμασι σύζευξις ἔσται, καὶ πρὸς τὴν παῦλαν τῆς τεκνοποιίας συγκεκραβήσεται τοῖς χρόνοις εὐκαίρως* [1]).

Progenies viribus corporis firmaque valetudine praestans ut nasceretur, simul ut caveretur, ne civium multitudo nimis cresceret, id Plato sibi proposuerat in constituendis aetatis terminis; Aristotelem vero et eaedem, quae Platonem moverunt rationes, et aliae nonnullae, ut apparet ex ultimis eius quae citavi verbis. Gravissimum tamen Aristotelis quoque argumentum hoc est firmissimorum liberorum viris feminisque spem esse iis quos indicavi vitae annis, quod eadem aetate homines ad ipsam *τὴν τοῦ βίου ἀκμήν* pervenisse constet. Sic eum nuptialem aetatem virginibus tribus annis maiorem constituturum fuisse exspectaveris collato loco ex Hist. Ann. ubi haec legimus: *μετὰ δὲ τὰ τρὶς ἑπτὰ ἔτη αἱ μὲν γυναῖκες πρὸς τὰς τεκνογονίας ἤδη εὐκαίρως ἔχουσιν* [2]); virum autem vitae annis XXX—XXXV ad ipsum aetatis florem pervenisse alibi contendit [3]).

Sic tamen fieri non poterat — id quod maxime optandum esse Aristoteles arbitrabatur — ut eodem fere tempore vis genitalis utrumque parentem deficeret; id enim mulieri evenire ei constat quinquagesimo fere

---

[1]) Aristot. ibid. 1335 a. 28.

[2]) Aristot. Hist. An. VII. 1. 582. a. 26. Septimum autem Historiae Animalium librum Aristoteli abiudicandum esse fuerunt qui putarent. Cf. Hist. An. ed. Aubert und Wimmer B. I p. 7. 1868.

[3]) Politica 1335 b. 32—35 et Rhet. 2-14-1390 b. 9.

aetatis anno, viro demum annos septuaginta annos nato[1]). Praeterea hac ratione cautum esse putat Aristoteles, ne filio non satis magno annorum spatio a patre distanti reverentia parentibus debita quadamtenus desit[2]). Quamquam autem annorum quadraginta discrimine minime opus esse ut filius patrem iusta pietate colat, Newmannus quoque observat in commentario ad Politica; idem tamen alios quoque hac in re cum Aristotele consensisse observat, allatis his verbis ex Montaignio: „je me mariay à trente-trois ans et loue l'opinion de trente-cinq, qu'on dict estre d'Aristote"; deinde „un gentilhomme, qui a 35 ans, il n'est pas temps qu'il face place à son fils, qui en a 20, et il ne nous fauldroit pas marier si jeunes que notre aage vienne quasi à se confondre avecques l'aage de nos enfants"[3]).

Hoc quoque accedit — atque Aristoteli commodissimum esse videtur — quod tantum annorum discrimen efficit, ut pater tum demum filio loco cedit, ubi ipse ad senectutem pervenit, ille contra in ipso versatur robore aetatis: patris enim septuagenarii filius maximus natu triginta fere annos expleverit[4]). Quod autem opportune accidere Aristoteles arbitratur, ut filium nonnisi grandaevo patri succedere *necessarium* sit, id eo redire posthac videbimus, ut ipse filius tum denique patris locum obtinere *possit*, cum maturiorem aetatem attigerit; hanc praesertim ob causam magna inter patrem filiumque annorum differentia necessaria est. Postremo hac quoque ratione termini ad matrimonium ineundum ab Aristotele

[1]) Politica 1335. a. 7—11.
[2]) ibidem 1335. a. 2—3.
[3]) Montaigne. Essais II. 8 vol. 2 pag. 179.
[4]) Pol. 1335 a. 32—35.

constituti, ipso iudice se commendant, quod non tanto annorum spatio sic filius a patre distat ut τῆς γηροτροφίας pio officio perfungi non possit; contra pater filiis adesse poterit in difficillima pubertatis aetate. Quod tamen filiis tantum maximis natu prodesse poterit [1]; nam cum Platonem secutus Aristoteles aetatem liberis procreandis certis finibus terminandam censeat, atque septendecim post nuptias celebratas annis ne amplius liberi nascantur interdicendum, fieri poterit, ut pater annorum numero quinquaginta quattuor superet filium minime natum; huic tamen, cum ad adulescentiam pervenerit in patre vix quicquam subsidii erit. Alia res erat apud Platonem in Legibus, ubi cum decem tantum annorum spatium liberis procreandis concedatur viris, pater non amplius quam quadraginta quinque annis a filio distare potest. Convenit vero Aristoteles cum lege a Platone in Re Publica data; ibi enim aetatem liberis procreandis idoneam annis XXV—LV circumscriptam iam esse vidimus; contra ex Aristotelis praecepto sequitur ut mulier quae annos duodeviginti nata viro nupserit post trigesimum quintum aetatis annum parere non liceat, cum apud Platonem vel quadraginta annorum mulieri, mater ut fiat concedatur.

Cohaeret autem aetas procreandis liberis legitima qualem constituit Aristoteles cum sententia eius de summo animi ingeniique robore: huc enim viros quinquagenarios fere pervenisse censet, poetarum iudicium secutus [2]; per quinque abhinc annos liberos gignere viris licet [3].

[1]) Polit. 1334. b. 38—42.

[2]) Solon. fr. 27.

ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσιν μέγ' ἄριστος ὀκτὼ τ'.

[3]) Aristot. l. c. 1335. b. 26—37.

Notatu dignissimum est Aristotelem in his rebus omnibus nonnisi patrum filiorumque rationem habere; an matris aetas admodum immatura noxia esse possit, id eius vix interesse videtur. Quod hinc explicandum est, quod cum totam domus familiaeque administrationem viro tribuendam esse ei persuasum esset, animi mentisque maturitatem viro imprimis necessarium esse censet. Fieri praeterea non potest, ut multum valeat in liberorum animis moribusque excolendis mater tam parvo discrimine ab eorum aetate distans.

Nec solum progenies firma atque robusta ut nascatur — id quod iam observavi — Aristoteles sibi proposuit, sed etiam sic puellarum quae nascantur numerum, puerorum numero superari ei veri simile esse videtur [1]; ipse autem Troezene cum habitaret, cognoverat e matrimoniis nimis immatura viri feminaeque aetate initis liberos nasci corporibus infirmissimis et valetudine tenuissima [2]. Contendunt autem hodie quoque viri docti, qui his quaestionibus operam dare solent aetatem, qua liberos procreaverint parentes, permagni momenti esse ad indolem eorum [3]; longius progressus Aristoteles etiam scire se putat, quae tempora anni matrimonio ineundo aptissima sint; aliis temporibus praeferendum esse hibernum tempus, quo re vera *οἱ πολλοί* uxorem ducere soleant [4]. Sic mensem Gamelionem, ut matrimonio consecrandum esse Pythagoras quoque praeceperat [5]. Qua de re hodierni viri docti aliter sentiunt: neque hominum vim

[1]) Aristot. l. c. 1335. a. 22.
[2]) ibid. 1335 a. 16—22.
[3]) cf. Roper. Ancient Eugenics p. 62.
[4]) Aristot. l. c. 1335. a. 37.
[5]) Diog. Laert. VIII. 9. Diod. X. 9. 3.

vitalem neque corporis firmitatem neque animi indolem ulla ex parte pendere ex anni tempore, quo sint nati.

Nusquam terrarum rationes eugeneticae accuratius observabantur quam Spartae; traditum est iam Lycurgi quae dicuntur legibus cautum fuisse, ut puellis puerisque vires corporum quam maxime exercitationibus augerentur; parentum enim robustorum robustos quoque futuros esse liberos [1]). Ex eodem genere est, quod secundum scriptorem libri de Re Publ. Lac. qui Xenophontis nomine circumfertur Lycurgus ἔταξεν ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο σύμφερον τῇ εὐγονίᾳ νομίζων.[2])

Quod praeceptum quantopere Xenophonti placuerit ex eo apparet, quod Socratem quoque cum Hippia disputantem facit eos, qui liberos procreare sibi proposuerint, non solum bona iustaque indole praeditos esse oportere, sed etiam in ipso iuventutis flore esse [3]). Ipse autem Socrates ut sic ratiocinatus sit, vix fieri potest, quippe qui senex septuaginta annorum, ut ex Platone constat, liberos reliquerit vix puerilem aetatem egressos. Verisimile autem est et alios Graecos et Platonem Aristotelemque (nam Lycurgi nomen hic nullius est momenti) tantum his rebus tribuisse praesertim quod iis persuasum erat animi pulchritudinem artissime cohaerere cum pulchritudine corporis.

Post Aristotelem rationes eugeneticae neglectae fere iacuerunt. A quibus, cum aliena esset Epicurea doctrina non minus quam disciplina Stoicorum, Orientalium deorum cultus, qui per totum orbem terrarum paulatim in

---

[1]) Xen. De Republ. Lac. I. 4.

[2]) Xen. l. c. I. 6.

[3]) Xen. Mem. IV. 4. 23.

honore esse coepit, rerum humanarum contemptioni et mulierum liberorumque despicatui potius favebat. Duobus demum milibus annorum post Aristotelem primus Galton eugeneseos studio deditus, huius artis viam rationemque circumscribere conatus est[1]; hodie de eius pretio magis magisque consentire incipiunt viri docti. Exempli causa hic afferam, quae scripsit Mahaffy: „there is no valid reason, why the physical production of the race should not receive infinitely more attention than it does within the bounds of our present social arrangements. If even now there are civilized countries and classes of people, who openly confess prudential reasons as the best for marrying, it will only require a better education to enable men to advance to the position that the physical and mental vigour of the resulting children is a motive to be consciously considered in the selection[2]." Plato autem et Aristoteles lege sanciendum esse arbitrati sunt, ut ad hominum vitam transferrentur ea, quae secum ratiocinati atque meditati erant.

Quas meditationes unde philosophi hauserint, si quis quaerat, imprimis medicorum Graecorum ratio habenda videtur. Quamquam enim apud Hippocratem de flore aetatis ad liberos procreandos maxime idoneo tacetur, ipse tamen Aristoteles haec dicit: δεῖ δὲ καὶ αὐτοὺς ἤδη θεωρεῖν πρὸς τὴν τεκνοποιίαν τὰ τε παρὰ τῶν ἰατρῶν λεγόμενα καὶ τὰ παρὰ τῶν Φυσικῶν· οἱ τε γὰρ ἰατροὶ τοὺς καιροὺς τῶν σωμάτων ἱκανῶς λέγουσι, καὶ περὶ τῶν πνευμάτων οἱ Φυσικοί, τὰ βόρεια τῶν νοτίων ἐπαινοῦντες μᾶλλον[3].

Praecepta autem de iusta matrimonii ineundi aetate

[1]) Roper. l. c. p. 71 sqq.
[2]) Mahaffy. Old Greek Education p. 117 sqq.
[3]) Aristot. Pol. 1335. a. 39.

atque de liberis procreandis a scriptoribus et philosophis composita apud Graecos re vera observata esse non magis constat, quam alias leges Platonicas, ut eas quae sunt de mulierum communione, publice esse probatas. Aristoteles vero multo propius ad humanam vitam accedere conatur: leges rei publicae Atheniensium aptas concipere sibi cum proposuisset, probe intellexit non ad inane somniorum regnum accedendum esse. Duas res ei ante oculos versari debere, qui popularibus suis leges conscribit, ipse observavit: et id quod per se spectatum optimum sit et id quod perfici possit[1]); hoc ubi desit, illud intellexit perparvi esse momenti; unde sequitur Aristotelem permultum tribuisse existimationi hominum neque morem a maioribus traditum neglegere voluisse. Unde effeceris et in aetate nuptiali constituenda Aristotelem aevi sui consuetudinem secutum esse potius quam praecepta eius quicquam ad hominum morem usumque immutandos valuisse. Nusquam enim terrarum rationes eugeneticae umquam aliquid valuisse videntur ad nuptialem aetatem constituendam vel constitutam mutandam.

Nec tamen a proposito meo alienum est inquirere an philosophorum dogmata cum praeceptis ex ipsa hominum vita profectis consentiant: post theoreticorum qui dicuntur placita, operae pretium est audire viros ab aequalibus suis eruditione minus longo spatio distantes.

Incipiam autem ab eo genere indiciorum quod supra indicavi per litteram B.

Inspiciamus igitur Hesiodum, qui triginta annorum aetatem viris aptissimam esse ad matrimonium ineundum,

---

[1]) Aristot. l. c. 1289a

feminis annorum septendecim vel undeviginti his verbis demonstrat:

Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πόλλ' ἀπολείπων
μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά· γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος·
ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβώοι, πέμπτῳ δὲ γαμοῖτο. [1])

Quamquam autem Ascraeus poeta neque in Attica vixit neque iis temporibus, de quibus me acturam esse supra monui, dignissimus tamen est, quem audiamus propterea quod homo rure natus vitaeque rusticae amantissimus praecepta sua non in umbracula excogitasse censendus est, sed e media vita sumpsisse; neque eum eugeneticae rationes moverunt sed potius eae causae, quas ipsa vitae utilitas ei subministrabant; de quibus causis posthac actura sum.

Attamen ex ipsis eius verbis apparet eum aequalibus civibusque suis nonnisi consilio suo prodesse voluisse, cui consilio utrum obsecuti fuerint necne in medio relinquendum est.

Aliter Solon, qui ipsius humanae vitae imaginem carminibus delineans singulis septenorum annorum aetates viris tribuit. Prima autem vitae parte peracta pueri dentes mutant; tum septem annis post iam indicia adultae aetatis apparent; tertia aetate oris color virginalis esse desinit et lanugine signantur genae; sequitur ea aetas qua vires corporis quam maxime augentur; post annum duodetrigesimum tempus adest uxorem ducendi liberosque procreandi:

πέμπτη δ' ὥριον ἄνδρα γάμου μεμνημένον εἶναι
καὶ παίδων ζητεῖν εἰσοπίσω γενεήν· [2])

[1]) Hesiod. Erga 695.
[2]) Solon. fragm. 27.

Viris igitur nuptialem aetatem annis XXVIII-XXXV circumscribit Solon, tacet de virginibus, quibus aetatem XVII-XIX matrimonio aptissimam indicare Hesiodum vidimus.

C. Iam transeamus ad tertium illud genus indiciorum, quo continentur exempla e vita cotidiana desumpta; separatim autem agam de mulieribus et de viris, quo facilius materia distinguatur.

I. Ut a mulieribus incipiam, perpauci sunt loci e monumentis litterarum, quibus qua aetate virgo quaedam collocata sit ipsis verbis indicatur.

Primario loco hic commemorandus est Xenophontis Oeconomicus, ubi Ischomachus Socrati narrat se uxorem suam domum duxisse cum nondum quindecim annos nata esset.[1]) Praeterea duo loci e Demosthene commemorandi sunt, ubi orator narrat sororem suam nondum quinque annos natam a patre per testamentum Demophonti desponsam esse, qui eam uxorem ducturus esset ὅταν τὴν ἡλικίαν ἔχῃ· τοῦτο δ' ἐμελλεν εἰς ἔτος δέκατον γενήσεσθαι; unde sequitur sororem Demosthenis quattuordecim annos natam nupturam fuisse.[2])

II. Indicia minus aperta.

a. Gravissimum argumentum, quo demonstretur virgines tenerrima aetate nubere solitas fuisse hinc ducitur, quod mos erat, ut nuptura puella crepundia Dianae voveret, aetatis puellaris custodi. Qua de re conferenda sunt, quae scripsit von Wilamowitz in Praefatione ad Euripidis Hippolytum: „für eine hellenische jungfrau war der hochzeitstag in wahrheit, was ihm jetzt nur noch

[1]) Xen. Oec. VII. 5.

[2]) Dem. XXVII. 4 et XXIX. 43; de temporibus posterioribus cf. Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms I[9] p. 270.

die phrase nachsagt, das fest ihres lebens, sie erhielt den gatten so früh, das alle die empfindungen, die jetzt ein mädchen bei der confirmation bewegen, weil sie natürlich und demnach berechtigt sind, sich mit denen der eheschlieszung vereinigten. die zeit der freiheit und des spieles ist vorbei, sie trägt puppe und ball zur Artemis, die ihre kinderjahre behütet hatt." [1])

Notissima autem inscriptio hic argumenti loco afferri potest de cuius sermone tam diu viri docti inter se dissenserunt [2]); quae invenitur in cymbalo ex aere facto in Peloponnesi parte meridiana. Verba sunt haec: Κάμω ὐνέθυσε ταῖ κόρFαι i. e. Kamo hoc cymbalum Dianae vovit. [3]) Verisimillimum est hic agi de puella, quae cum in eo esset ut nuberet hac ratione deae gratum animum testificans a puellari vita discederet.

b. E nuptiarum imaginibus, quae in vasis pictis inveniuntur vix quicquam certi effici potest de sponsarum aetate, quam effingere voluit pictor; solebant enim artifices imagines delineare adeo ad unam eandemque normam exactas, ut saepius vix discerni possit, utrum matrem an filiam pingere voluerint.

E variis autem quae attuli indiciis iam satis constare mihi videtur morem fuisse, ut puellae iam de „tenero ungui", ut Horatii verbis utar, in matrimonium darentur; raro fiebat ut aetate provectiore virgo nuberet, cuius rei Elpinicen Cimonis sororem exemplo afferre licet.

Explicatio hinc peti potest, quod in terris meridianis

---

[1]) Wilamowitz. Hippolytus. p. 26.

[2]) cf. Ath. Mitt. XXI. 1896. p. 240 et Ath. Mitt. XXX 1905 p. 65, Rh. Museum LX. 1905. p. 504. A.

[3]) I. G. A. 324.

puellae maturius quam in nostris regionibus ad adultam aetatem perveniunt; unde fit ut hodie quoque in regionibus ad septentriones spectantibus puellarum aetas nuptialis annorum numero multo maior est, quam in terris sole meridiano calentibus. Singulares vero Graecis hic valuisse causis non est quod sumamus.

I Neque de virorum aetate nuptiali inquirentius nobis magnus suppetit locorum e Graecis scriptoribus numerus; raro tantum traditum est qua quis aetate uxorem duxerit. Duos tantum inveni locos, ubi mentio fit de adulescentibus satis iuvenili aetate uxorem ducentibus, quos qui et ipse citat Beauchet [1]) addit complures alios exstare, quos tamen neque ille enumerat neque ego reperire potui. Quorum locorum alter est e Demosthene, ubi is, qui verba facit dicit se annos duodeviginti natum uxorem duxisse, patris voluntati obsecutum, qui nepotes e filio natos fovere quam maxime cuperet. [2]) Alibi is cuius in gratiam orationem composuit Lysias contendit: Δικαιογένης δὲ τέως μὲν ᾤκει παρ' ἡμῖν, δοκιμασθεὶς δ' ἔγημε,[3]) i. e. hic quoque 18 annos natus. In alia oratione Lysiae actor contendit patrem suum matrimonium inisse, cum esset ἐν τῇ ἡλικίᾳ. [4]) Verisimile est hic quoque eandem aetatem intelligendam esse, quae alibi verbis μετὰ τὴν δοκιμασίαν indicatur, qua aetate iuvenis sui iuris facti nomen in tabulas civium recipitur.

II. Indicia minus aperta.

a. Hoc loco iterum Lex Gortynia [5]) afferenda est,

---

[1]) Beauchet, Droit privé de la Rép. Ath. I. p. 162.
[2]) Dem. XL. 4.
[3]) Lysias fr. 24.
[4]) Lysias. XIX. 14.
[5]) VII. 17.

qua sanctum est ut filia heres patris sui fratri nubat, idque ita ut patruo maximo natu filia fratris maxima natu ducenda sit; de quo praecepto haec observarunt Kohler-Ziebarth: „Dies musz uns einigermaszen befremden, denn wir sollten erwarten, dasz die Erbtochter mit dem Sohne des Vatersbruders also mit einem auf der gleichen Stufe der Familie stehenden Manne verbunden werde, während nach dem Gesetze die Erbtochter auf eine ältere Stufe aufsteigen musz. Dies erklärt sich aber daraus dasz man ein jüngeres Alter der Frau als Regel ansah und im übrigem einen erheblichen Unterschied der Jahren nicht in Betracht zog". [1])

Similiter apud Athenienses lex erat ut proximus agnatus filiam heredem duceret [2]); dubitari autem non potest, quin saepe ipse patruus fuerit proximus agnatus; sic videmus Athenis quoque magnum aetatis discrimen offensioni non fuisse.

Sed non solum inter virginem ἐπίκληρον et patruum vel avunculum matrimonium saepe contractum est: haud raro factum est, ut nulla lege coacta virgo patris sui fratri nuberet. Vix hic in memoriam revocare licet apud Herodotum [3]) Spartanorum regem Anaxandridem filiam sororis uxorem ducere, nam de Atheniensium moribus hinc nihil efficitur. In ipsa contra Attica versamur apud Lysiam in oratione XXXII, ubi narratur Diogitonem a fratre suo, qui magnas comparavisset divitias petivisse ut filiam duceret, fratrem deinde roganti obsecutum esse [4]). Alia exempla apud oratores Atticos tradita sunt.

---

[1]) Kohler-Ziebarth. Das Stadtrecht von Gortyn p. 68.
[2]) Beauchet. l. c. p. 400; Isaeus. III, 63, 72.
[3]) Herod. V. 39.
[4]) Lysias. XXXII. 4.

Sic apud Demosthenem in oratione κατὰ Νεαίρας Theomnestus dicit ἔλαβον καὶ ἐγὼ γυναῖκα Ἀπολλοδώρου μὲν θυγατέρα, ἀδελφιδῆν δὲ ἐμαυτοῦ [1]; paulo post idem narrat de Lysia quodam qui uxorem habebat Βραχύλλου μὲν θυγατέρα, ἀδελφιδῆν δὲ αὑτοῦ [2]; apud Isocratem in oratione Aeginetica Thrasyllus traditur prius amitam eius qui causam agit uxorem duxisse, deinde consobrinam eiusdem [3], quam multis annis priore uxore minorem natu fuisse verisimile est.

Haud pauca ex Euripide hauriri posse, quae spectent ad discrimen aetatis legitimum inter maritos et uxores exspectaveris, ubi primum cognoveris nonnulla huius tragici fragmenta servata esse apud Stobaeum sub hoc titulo: ὅτι ἐν τοῖς γάμοις τὰς τῶν συναπτομένων ἡλικίας χρὴ σκοπεῖν. Mox tamen apparet sententias Euripideas a Stobaeo citatas incertiores esse atque latius patere, quam ut magni momenti aestimari possint. Paucas tamen adferam. Monet e. g. Euripides ne nimis iuvenili aetate adulescens et virgo matrimonium ineant, illum enim vigorem virilem satis diu retinere, mulierem contra mox anum fieri:

κακὸν γυναῖκα πρὸς νέαν ζεῦξαι νέον·
μακρὰ γὰρ ἰσχὺς μᾶλλον ἀρσένων μένει,
θήλεια δ' ἥβη θᾶσσον ἐκλείπει δέμας. [4]

Quod nostro quoque aevo saepius argumenti loco affertur, plerumque tamen ut ab uxore ducenda, quae aetate sit maior, deterreantur iuvenes. Contra in fragmento ex Danae tragoedia servato cavendum esse observatur, ne viri matrimonium in senectutem differant,

---

[1]) Dem. LIX. 2.
[2]) ibid. 22.
[3]) Isocr. XIX. 17.
[4]) Eur. fr. 24.

senem uxori ἐχθρὸν χρῆμα esse, liberisque patrem iuvenem magno esse gaudio [1]). Hoc igitur loco verba Euripidea pugnant cum Aristotelis praecepto, quo auctore patrem filio quadraginta annis maiorem esse oportere supra vidimus. Similia praedicabantur in Phoenice; hic tamen marito potius consulitur: senem enim ab uxore florente aetate imperiose tractari solere. [2]) Postremo ne contrariae quidem rationis apud Euripidem defuit mentio: anus ne adulescenti nubito: qui ubi fidem coniugalem non servaverit uxorem ultionem meditaturam esse:

κακὸν γυναικὶ πρὸς νεὸν ζεῦξαι γραῖαν.
ὁ μὲν γὰρ ἄλλης λέκτρον ἱμείρει λαβεῖν.
ἡ δ' ἐνδεὴς τοῦδ' οὖσα βουλεύει κακά. [3])

II. b. Iam transeamus ad ultimum quod indicavi genus indiciorum.

Imagines nuptiales in vasis delineatas complures inspexi, ut ex figura sponsi coniecturam facerem de aetate eius; alibi autem sponsus barbatus est, alibi imberbis.

Ac primo quidem digna est quam contemplemur imago nuptialis, quae expressa est apud Heydemannum in libro „Griechische Vasenbilder" [4]), de qua haec annotat editor: eine Braut wird von der Numpheutria noch geschmückt, während der Bräutigam, dem eben der Flaum sprieszt, schon ungeduldig harret. In alia eiusdem libri imagine novi parentes infantem suum admirabundi adspiciunt; patris quoque genae prima lanugine signantur. [5]) Tertio

[1]) Eur. fr. 316. Eadem spectant ex alia tragoedia (fr. 807) haec verba: πικρὸν νεᾷ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ.

[2]) Eur. fr. 804.

[3]) Fragm. e tragoedia ignota, quod cum vitio metrico servavit Clem. Alex. Strom. VI. p. 620.

[4]) tab. X. fig. 1.

[5]) ibid. tab. XI. fig. 1.

loco commemoranda est imago vitae domesticae, qua maritus uxori sedenti pomum offert. Adstat ancilla infantem manibus gerens, pater primis barbae vestigiis ornatus est. [1])

Contra novus maritus, qui sponsam domum ducit omnino imberbis est in imagine, quam exhibet Theodorus Schreiber in libro „Kulturhistorische Bilderatlas" [2]); idem cernimus apud Sabouroffium tab. 58; hic sponsus adulescens imberbis, coronam gerens capillis crispis ipse novam nuptam currui imponit; nimis fortasse ingenii acumini indulgens ibi editor adnotat haec: „C'est la première fois qu' ils se touchent d' aussi près et pour la première fois elle se sent en son pouvoir; son attidude raide, prèsque solennelle, trahit les battements de coeur de sa pudeur effarouchée; lui cependant la soutient avec une certaine gravité, on pourrait dire avec respect comme un prêtre porterait une idole sacrée." [3])

Nihil autem proficimus fere ex imagine, quam novimus ex Monumentis ineditis, publicati — ut titulum Italicum afferam — dall' istituto di correspondenza archeologica [4]). Pictas hic habemus mulieres nonnullas, quibus adstat adulescens; lineamenta vero adeo incerta sunt, ut nihil statuere liceat. Magis certa res est in pyxide Eretriae inventa, cuius simulacrum ostenditur in Annalium, qui inscribuntur „Jahrbuch des kaiserlich deutschen Archeologischen Instituts" volumine quintodecimo, tabula

[1]) ibid. tab. VIII. 5.

[2]) tab. 81.

[3]) Coll. Sabouroff. Monuments de l'art grec. publ. par A. Fürtwaengler.

[4]) Monumenti inediti IV. tab. 24bis.

2: in pompa nuptiali sponsus vir barbatus sponsae obviam it; item novus maritus barbam gerit in Ephemeride Archeologica. [1])

Rursus nihil constat de imagine cuius notitiam Gerhardio [2]) debemus; primum enim pro certo statuere non licet, utrum hic in pompa mythologica re vera currus nuptialis depictus sit necne; deinde nullius ad quaestionem de qua ago solvendam momenti est quod viri barbati sunt. Notissimum enim est singulos Graecorum deos sua quemque atque eadem figura ab artificibus repraesentari solere. Postremo adferri potest pyxis e museo publico Atheniensium [3]), ubi adspicimus sponsum imberbem cum sponsa in curru sedentem.

Ex novem igitur sponsis vel novis maritis duo tantum barbati sunt; qua in re ea quae ex imaginibus pictis collegimus non congruere videntur cum indiciis, quae ex litterarum monumentis proferre mihi visa sum. Etenim traditum est inde a saeculo quinto a. C. n. usque ad Alexandrum Magnum viros apud Graecos barbam gerere solitos fuisse. Unde sequitur nonnisi admodum iuvenili aetate adulescentes imberbes fuisse; in imaginibus igitur de quibus egi maritum sponsumve annorum intervallo satis exiguo distare a puella vel ab uxore.

Neglegendum tamen non est rem hic nobis esse cum artis operibus, quae satis magno numero confecta, ad certam quandam normam exigerentur, ita ut rarissime singulas figuras nova ratione effingere auderent artifices; quibus sponsum in prima iuventute uxorem ducentem

[1]) Ephemeris Arch. 1905. VI.
[2]) Gerhard. Auserlesene Vasenbilder. tab. 310.
[3]) Ath. Mitteilungen. XXXII. 1907. tab. 7.

magis cum subtili pulchritudinis sensu convenire visum esse facillimum est ad credendum. Praeterea quamquam rarius factum est, factum tamen est ut sponsum vel novum maritum barbam gerentem pingerent. Itaque hac via nec novum argumentum inveni quo probarem apud Graecos morem fuisse, ut aetate paulisper provectiore viri uxorem ducerent neque rationem contraria apud eos valuisse sic demonstraveris. Aliunde autem constare mihi videtur Athenis morem fuisse, ut nonnisi seriore aetate viri matrimonium inirent; Platonis igitur et Aristotelis praecepta ad ipsum illum morem adaptata fuisse.

Explicationem quaerentibus hic quoque minime neglegendum est, id, quod supra (p. 1) monui omnia ea quae supersunt indicia homines spectare meliore loco natos. Adulescentes autem pauperiores nostris quoque temporibus multo maturius matrimonium ineunt quam ei qui, divitioribus parentibus orti, nonnisi postquam multos annos litterarum studiis impenderunt vel aliter ad futuras vitae condiciones se praeparaverunt, domum suam regere atque rei nummariae providere possunt, neque aliter se rem habuisse in Attica veri est simillimum.

Pauca hic ut adferam mihi concedatur velim ex egregio libro quem scripsit Alfred E. Zimmern „The Greek commonwealth", qui ubi agit de civitatum Graecarum oeconomia et alias causas memorat „which tended to check the growth of population", et „the comparative rarity of early marriages among men. The Greek citizen did not usually marry till he was close on thirty, or even beyond it. This practice was encouraged by public opinion and by the thinkers who directed it, and was the direct effect of the segregation

of the sexes in early manhood and of the exclusion of women from the main interests of a young Greek's life. The Greek city like an English college, was for most purposes, a men's club, and it was easy and natural for a Greek to pass the threshold of middle age before he came conscious of the need of any permanent attachment beyond the companionship of club-life. His youthfull ideals and achievements were all shared with male companions, and it was naturally upon them that the romantic devotion of his budding nature was expended. Achilles and Patroclus, Orestes and Pylades, Harmodius and Aristogeiton, were the types which he admired and which parents and statesmen and poets encouraged and urged him to admire. One of the greatest legacies which Greece has left us is its high conception of friendship — of close fellowship for noble ends[1]).

Quae verba si quis accuratius consideraverit, fieri non potest, ut non observet id quod explicationis loco sit adlatum ipsum explicandum esse. An forte unde orta sit hominum aliqua consuetudo quidque sibi velit magis perspicuum fit, ubi dixeris civium existimationem ei favere? Immo vero, morem quacumque ratione ortum homines sequuntur, quidquid ab eo est alienum improbantes. Sic apud omnes fere Europae populos singulas viri solent ducere uxores, a quo more recedere nefas fere esse ducitur; apud Turcas contra duas vel plures uxores habere concessum est atque tantum non lege praescriptum; idem apud eos comprobat vulgi opinio. Sic tamen minime explicatur neque τὸ τῆς μονογαμίας

[1]) Zimmern. The Greek Commonwealth, p. 341.

neque τὸ τῆς πολυγαμίας ἦθος; neque cur Graeci non soliti fuerint in adulescentia matrimonium inire simili ratione in clara luce ponitur.

Quod deinde contendit Zimmern philosophorum quoque praecepta communi virorum in uxore ducenda mori favisse, id quamquam per se spectatum verissimum iam esse vidimus, perparvi tamen momenti esse mihi persuasi; nam vix quicquam auctoritatis habuerunt illa δόγματα ad hominum consuetudinem usumque mutandum. Neque umquam, ut hoc exempli loco adferam, Graeci Platoni obsecuti sunt mulierum communitatem commendanti. Aristotelem autem ad suae aetatis homines potius se accommodavisse quam novi aliquid excogitavisse iam supra dixi.

Probabilius profecto primo certe conspectu videtur, quod tertium argumentum protulit Zimmern, adulescentes Graecos matrimonium minus appetivisse, quod intimas cogitationes sincerosque animi affectus cum amicis sodalibusque communicare eis magis optandum esse videretur. Amicitiae sane magnam fuisse vim apud Graecos satis superque constat inter omnes; neque dubitari potest quin saepissime inter amicos ea fuerit animorum coniunctio quam nos inter coniuges praesertim permagni facimus. Haec omnia tamen alicuius momenti esse, ubi inquiras de Graecorum aetate nuptiali, tum denique mihi persuadere potero cum mihi erit demonstratum maritos Graecos cum uxoribus aequo iure vixisse atque non solum corpora earum amavisse sed etiam animos mentesque.

Argumentum autem Zimmerni grave esset, si exploratum haberemus, Lacedaemonios prima adulescentia matrimonium iniisse; Spartae enim puerorum puellarum-

que educatio minus seiuncta erat. Nihil autem de ea re notum est.

Itaque quamquam, ut iam dixi, tertium Zimmerni argumentum gravius esse mihi est visum, tamen in eo acquiescendum esse non censeo.

Potius credo explicationem ita quaerendam esse, ut proficiscamur ab ipsis victus quaerendi rationibus, quae inter Graecos valuerunt potissimum quaeque iis ut ita dicam pro vitae fundamentis fuerunt. Ac primum quidem hoc loco observandum est Atticae terrae incolas ante omnia agris colendis operam dedisse. Fuerunt qui in rebus ad vitam necessariis fabricandis studium suum ponerent, ita tamen ut parvae tantum existerent officinae, quae ibi praesertim florebant, ubi artem suam exercebant sculptores, pictores, figuli: Graecorum fabri simul erant Graecorum artifices. Quid enim? Vecturae cum permagno constarent pretio, eae tantum merces exportabantur, quae peregre magni venibant; alia omnia singulae civitates nonnisi in suorum civium usum fabricabantur. Inde factum est, ut pulchri ille sensus quo maxime Graecorum eminebant ingenia magis magisque excoleretur: nonnisi ea quae singulari quadam formae praestantia se commendabant extra singularum civitatum terminos emptores inveniebant[1]).

Praeterea id quoque agriculturam augebat, quod Atticae solum non erat idoneum — ut erat terra Italiae — armentis gregibusque pascendis. Maior igitur civium Atticorum pars erat agricolae, qui tamen in urbe Athenis habitantes simul et vita rustica gaudebant et urbis deliciis fruebantur: rura sua amabant ut amant poetae,

---

[1]) Henri Francotte. l'Industrie dans la Grèce ancienne p. 158.

suoque pretio aestimabant ut aestimant rustici [1]). Quanti autem Athenienses fecerint vitam rusticam imprimis apparet ex Aristophanis comoediis: abundant ruris laudibus et Acharnenses [2]) et Nubes et Pax: propterea bellum Dicaeopolidi odio est quod eum privat honestis voluptatibus cogitque intra urbis moenia se continere.

„Combien différente", sic de hac re Francotte, „serait aujourd'hui, dans une de nos grandes cités, la poésie du théâtre populaire! Pour passionner nos ouvriers ce n'est point des joies de la campagne, qu'il les faudrait entretenir: il faudrait leur parler des rudes travaux de l'usine, de la grêve violente et sanglante, de leur foyer dans les galetas étroits, des réjouissances des villes, hélas le cabaret, le bal de banlieue" [3]).

Quibus addere libet eiusdem scriptoris verba haec quibus disputationem absolvit: „De tous les faits, que j'ai réunis, le plus frappant est la prédominance de la vie agricole en Attique au Ve siècle et au IVe siècle" [4]).

Accedit — id quod ad argumentum nostrum permagni est momenti — quod in Attica latifundia ignota erant atque singuli agricolae parvum tantum possidebant agellum,

---

[1]) ibid. p. 186.

[2]) Ach. 29. sqq.

κἆτ' ἐπειδὰν ὦ μόνος,
στένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι
ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι
ἀποβλέπων ἐς τὸν ἀγρὸν, εἰρήνης ἐρῶν,
στυγῶν μὲν ἄστυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν,
ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν· „ἀιθρακας πρίω,"
οὐκ ὄξος οὐκ ἔλαιον, οὐδ' ἤδη πρίω,
ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα χὠ πρίων ἀπῆν.

Cf. ibid. 994—1000. Pax. 1130 sqq. Nubes 43 sqq.

[3]) Henri Francotte, l. c., p. 199.

[4]) ibid. p. 213.

victuque inde parto erant contenti: divitias non appetebant. Si cui forte contigerat ut augeret agros suos, indignabantur cives clamabantque id quod acquisivisset ei adimendum esse divisionemque fieri oportere. Contra nemo quicquam querebatur ubi mercator vel artifex magnas comparaverat divitias: quidquid agri in parva Atheniensium civitate, in tanta fertilis soli inopia, agricolae possidebant supra quam ad victum necesse erat, id pauperibus civibus quasi ereptum videbatur[1]). Neque enim magna erat in Attica fecundorum agrorum ubertas, neque populi antiqui adeo erant agriculturae periti ut frugum fructuumque copiam in immensum augere possent. Denique multo minus quam postea Romanis, Graecis licuit extra patriae fines nova domicilia novosque agros petere.

Quae omnia cum ita essent, fieri non poterat ut agricolarum filii, quos et ipsos agriculturae destinatos fuisse facile intellegitur, priusquam patres vires corporis deficerent, suum quem colerent acciperent agellum; quo demum accepto sui iuris esse possent, suumque victum quaerere: quae omnia multo maturius artifex adulescens adipisci poterat quam agricola. Necessario inde sequitur agricolam provectiore demum aetate ut matrimonium iniret in animum inducere potuisse.

Meliore hac in re condicione erant qui alia ratione victum quaerebant velut ἔμποροι, καπηλοί, τοκισταί[2]), quibus multo maturius uxorem ducere licebat; at numero longe erant minores. Sic apud Demosthenem agitur de Artemone et Apollodoro mercatoribus, qui κομιδῇ μειράκια dicuntur, quorum tamen verborum vis non nimis urgenda esse videtur.[3])

[1]) Cf. Zimmern. l. c. p. 227.

[2]) Hos eodem loco quo agricolas habet Xenophon. Vect. IV. 6.

[3]) Dem. XXXV. 15.

Operae pretium esse videtur exponere, quatenus Atheniensium moribus sive nocuerint sive profuerint matrimonia tam provecta aetate a viris inita. Ac primum quidem observandum est meretricum numerum Athenis permagnum fuisse, neque consuetudinem cum iis habitam umquam adulescentibus vitio esse datam. Unde factum est ut iam in Solonis leges nonnulla reciperentur ad artem meretriciam pertinentia. Qua de re K. Schneider in „Real-Encyclopaedie der classischen Altertumswissenschaft" [1]): „Sobald", inquit, „der Wohlstand infolge der zunehmenden Handelsbeziehungen stieg und Hand an Hand damit die Lebensansprüche sich steigerten, kam auch das Dirnenwesen auf. Schon Solon fand es für nötig Strafbestimmungen über die Vaterschaft und gegen die Verführung ehrbarer Frauen zu erlassen [2]), ja er soll sogar ein öffentliches Freudenhaus errichtet haben und aus dem Ertrage desselben den Tempel der Aphrodite Pandemos errichtet haben [3]). Diese Art der Tempelgründung sieht allerdings verdächtig aus und auch die Bordellstiftung wird angefochten."

Athenaeus, qui versus ad hanc rem spectantes e Philemonis Ἀδελφοῖς conservavit addit: ὅτι πρῶτος Σόλων διὰ τὴν τῶν νεῶν-ἀκμὴν ἔστησεν ἐπὶ οἰκημάτων γύναια πριάμενος. Apparet autem Solonem consuluisse adulescentibus nondum uxorem habentibus, nam eum patrum familiarum in usum lupanaria instituisse vix credibile est.

Notatu autem dignum est aliter Graecos iudicavisse de adulterio et de amore civium innuptarum, aliter de consuetudine cum meretricibus habita: haec nemini erat

---

[1]) Sub voce Hetairai.

[2]) Plut. Solon. 22, 23.

[3]) Philemon. Ἀδελφοί, apud Athenaeum XIII. 569. D. et E.

invidiosa, amor contra illicitus vehementissime reprehendebatur; qua de re conferantur ea, quae scripsit Bloch in libro „Die Prostitution": „Die Entwicklung und eigentümliche Differenzierung der antiken Prostitution vollzog sich auf der Grundlage eines Dualismus zwischen der strengen monogamen Zwangsehe auf der einen und einer auszerordentlichen Freiheit des Mannes auf der anderen Seite. Nirgends finden wir diesen Dualismus, diese Antinomie des Geschlechtslebens so scharf ausgeprägt und so augenfällig wie bei den Alten. Selbst das Mittelalter weist trotz seines rigorösen Ehebegriffes und Eheschützes nicht mehr eine solche Schärfe dieses Gegensatzes auf, und die Tendenz der modernen Kultur geht seit der Renaissance sehr deutlich auf eine Abschwächung und ein allmähliches Verschwinden dieses Dualismus. Die Richtigkeit der Gleichung: Unterdrückung und Unfreiheit der Ehefrau—ungemessenes Anschwellen der Prostitution in städtischen Kulturen, läszt sich im Altertum am reinsten und schlagendsten nachweisen." [1])

Dubitari non potest quin ipsae illae leges quibus in adulterium graviter animadverteretur rei meretriciae valde profuerint; praeterea mulieres intra domesticos parietes contabescentes sine ulla vitae publicae cognitione maritis suis minus satisfacere poterant quam ἑταῖραι illae, quae laetis animis delectabant eos quos domi suae recipiebant. Contra aetas Homerica, qua neque plures uxores duxisse viris pudori erat, neque mulieribus in publicum prodire, paucissima rei meretriciae vestigia nobis ostendit.

Athenis vero caelibi nihil non licebat in explenda cupiditate quam τὴν τῆς Φύσεως ἀναγκὴν viris imponere omnibus erat persuasum; quod ipsum unde ortum sit

[1]) Bloch. Die Prostitution p. 218.

quoniam explicandum esse videtur, minime hinc explicari potest, quo modo factum sit ut corporis quaestus tam late pateret *neque ulli invidiosus esset*. Praeterea levioribus moribus id quoque favebat quod cives Attici quamvis magna ex parte agriculturae dediti, ut paulo ante dixi, in urbe tamen habitabant. Quod quamquam regionum septentrionalium incolis satis mirum esse videtur, quibus parvos vicos et parva praedia rustica in mediis fere agris posita sunt notissima, nostris tamen etiam temporibus simillima est res in Italiae parte meridionali; ubi qualis sit vitae rusticae condicio egregie describit Adolf Bauer in libro „Vom Griechentum zum Christentum"[1]: ex qua descriptione quomodo antiquam civitatem Graecam animo nobis fingere debeamus optime cognoscimus.

Narrat igitur Bauer viatorem ex oppido Bari in Italiae ora posito in civitatem Ruvo di Puglia viginti duo milia passuum spatio distantem iter facientem ad inspicienda pulcherrima vasa illic in aedibus cui nomen Palazzo Jatta servata, postquam decem milia passuum progressus sit pervenire Bitontonem in urbem viginti septem milium civium, magnificentissima basilica insignem; tum post octo fere milia passuum cursum intermitti ad urbem Perlizzi viginti milibus hominum habitatam, rursus post tria fere milia ad urbem Ruvonem quae viginti quattuor milia habeat incolarum. Agros autem inter eas urbes sitos nulla aedificia habere praeter castella nonnulla et tuguria colonorum horreis adiecta: frustra quaesiveris praedia rustica. Tempore autem matutino et vespertino vias plenas esse agricolarum, quos comi-

[1]) Bauer: Vom Griechentum zum Christentum p. 13. in capite: Der hellenische Staat.

tentur iumenta carrique instrumentis rusticis onusti: eos procul ab agris in urbe habitantes sub vesperam eo redire solere, ut in foro viisque urbis ambulent, ut in cauponis cum amicis confabulentur, ut sub divo de republica disputent.

Sic fere etiam apud Graecos antiquos rem fuisse Bauerus contendit: et civitatem et urbem designabat una vox πόλις; idem observat is qui urbium rudera interpretari potest in urbibus Asiae, quae diuturna Turcarum dominatione interierunt.

Sed redeo unde digressa sum; restat enim ut moneam consuetudinem cum meretricibus hac quoque re faciliorem fuisse quod longe maior earum pars e servarum numero erant, quae hic quoque eodem munere fungebantur, quo hodie puellae humillimo loco natae. Interdixerat enim Solon, ne quis cum ingenua muliere rem haberet; unde fieri non poterat, quin inter servas meretrices quaeri iuberet.

Matrimonium igitur provecta aetate contractum adulescentes ut lupanaria frequentarent et saepius post matrimonium initum frequentare pergerent impellebat; iam videamus quanti momenti ad mulierum vitae condiciones fuerint nuptiae primis maturitatis annis celebratae.

Hic in universum observari potest mulieres Graecas, viris aliquot annis maioribus nuptas, maritorum imperiis obnoxias fuisse. Quod nusquam magis perspicuum est quam in notissimo colloquio inter Socratem et Ischomachum tradito in Xenophontis Oeconomico. Narrat ibi Ischomachus se uxorem suam domum duxisse nondum quincim annos natam neque quicquam eam novisse nisi lanam tenere et pallam facere; cenae vero coquendae fuisse peritissimam. Parentes autem id praecipue egisse ut

quam paucissima videret, audiret, rogaret. Nec mirum est virum tam multis annis uxore superiorem eam docere, quae munera domi sint observanda, quomodo res domesticae administrandae, quibus rationibus servi et ancillae in officio continendi. Ut paucis rem comprehendam: mariti est pecuniam comparare et rem familiarem augere: foris ei laborandum est; munera autem uxoris conferri possunt cum labore regis apium: dispensat ea, quae in domum conferuntur curamque sibi habet impositam cellae penariae. [1])

Neque iniuria contenderis mulierem tam parvo annorum spatio a liberis distantem minus facile eos rexisse minoremque eis educandis operam dare potuisse. Hoc quoque loco Xenophon adferri potest, qui sic fere agit de officiis maternis. Magnis laboribus postquam mater infantem nondum natum tulit suoque corpore aluit, non minore dolore filium filiamve parit; dies noctesque deinde infanti recens nato prospicit, nulla mercede proposita: ne id quidem novit, an umquam ullam grati animi testificationem praemii loco acceptura sit. Nec satis est infantem aluisse: simulac liberi ad eum maturitatis gradum venerunt, ut aliquid addiscere possint, parentes ipsi eos docent si possunt, sin minus, doctiori praeceptori instituendos eos tradunt [2]). Quod ad ultimum Xenophontis praeceptum attinet: verisimillimum est patrum in liberis educandis multo graviores partes fuisse quam matrum; sic Isocrates de se ipse dicit haec: ὁ πατὴρ οὕτως ἐπιμελῶς ἐπαίδευσεν ἡμᾶς . . . . [3])

Nec parvi ponderis est quod Socrates Xenophonteus

---

[1]) Xen. Oec. VII. 5. 17. 20. 21.

[2]) Xen. Mem. II. 2. 4. sqq.

[3]) Isocr. XV. 161.

puerorum educationem a puellarum educatione seiungendam esse censet. Sic enim loquitur: si quis neglegit παῖδας ἀῤῥενας παιδεῦσαι ἢ θυγατέρας παρθένους διαφυλάξαι [1]). Quibus verbis ne minimum quidem a moribus Atheniensium recessit: notissimum est eos animo muliebri ingenioque excolendis exiguam tribuisse operam, sic quoque viros longe superiores esse demonstrantes: praeterea aetatis quoque discrimen efficere solebat ut eruditione maritus uxorem superaret.

Postremo maturum virginum matrimonium obstitit, quominus quicquam liberi arbitrii iis relinqueretur in sponsis eligendis: eligebant aut parentes aut fratres; contra viri ipsi uxorem sibi capiunt, aliorum voluntati non obnoxii. Denuo hic Xenophontis Oeconomicus testimonio est, in quo libello sic loquitur Ischomachus: Εἰπέ μοι, ὦ γύναι, ἆρα ἤδη κατενόησας, τίνος ποτὲ ἕνεκα ἐγώ τε σὲ ἔλαβον, καὶ οἱ σοὶ γονεῖς ἔδοσάν σε ἐμοί; [2])

Saepissime autem de virginum collocatione agitur apud oratores Atticos: indignamur fere ubi identidem videmus patres vel fratres nihil antiquius habere quam ut filias sororesve quam celerrime marito tradant. E quibus priusquam paucos locos adferam, commemorare libet narrationem in textu Herodoti servatam, quae quamquam vulgo interpolata esse creditur, tamen praebet nobis argumentum quod dicitur e contrario. Traditur ibi Callias, Pisistrati inimicus, filiabus suis quae tres erant numero qualem haberent patrem, hac re ostendisse, quod cum ad nubilem aetatem pervenissent, insigni dote eas ornaverit; praeterea iis permisisse ut quem vellent

---

[1]) Xen. Mem. I. 5. 2
[2]) Xen. Oec. VII. 10.

ex civibus Atheniensibus maritum sibi eligerent[1]).

Nec minus singularis res est apud Isaeum, ubi narratur duos fratres sororem suam minorem natu Menecli seni collocavisse; deinde eos postquam nonnullos annos peregre stipendia fecerint, Athenas reversos cognovisse sororem nondum peperisse. Colloquio deinde cum fratribus habito Meneclem uxorem suam laudibus extulisse atque addidisse sibi quidem tristissimum esse sine liberis e vita discedere, sed indignum sibi videri uxorem quoque eodem dolore affici. Postremo fratres vix mulieri persuasisse, ut marito relicto, alteri nuberet[2]).

Aliter res se habet apud Demosthenem in oratione pro Phormione habita; ibi Pasio moriens concubinam cum dote in matrimonium dat servo suo Phormioni, quem prius manu miserat[3]); in eadem oratione Socrates mensarius divortio facto uxorem tradit servo suo Satyrio[4]). Omnibus his locis id unum propositum est, ut res familiaris penes eandem mulierem maneat, neve quaestus e mercatura prodiens alio transeat.

Haec de libero eligendi arbitrio mulieribus non concesso; de maiore hac in re viri potestate in capite sequenti disseram.

---

[1]) Her. VI. 122.
[2]) Isaeus II. 4—5 et 7—9.
[3]) Dem. XXXVI. 8.
[4]) ibid. 28.

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSIS QUAE VIRUM ATHENIENSEM AD MATRIMONIUM MOVERUNT.

In praecedenti capite exposui ipsarum virginum voluntatem in marito eligendo vix ullius habitam esse momenti, maiorem vero in uxore capienda virorum fuisse potestatem. Quod nusquam melius apparet quam apud Xenophontem in Oeconomici loco quem iam citavi, ubi Ischomachus novam nuptam rogat: Εἰπέ μοι, ὦ γύναι, ἆρα ἤδη κατενόησας τίνος ποτὲ ἕνεκα ἐγώ τε σὲ ἔλαβον, καὶ οἱ σοὶ γονεῖς ἔδοσάν σε ἐμοί;[1])

Hic memorandum quoque est quod narratur apud Lysiam, ubi is qui verba facit declarat, quomodo ipse cum Nicodemo affinitate coniunctus sit: patrem enim suum a Conone rogatum esse ut filiam uxorem daret Nicodemo roganti.[2]) Nicodemus igitur ipse sibi uxorem elegit; idem olim fecerat socer eius, de quo haec sunt observata: ἐκεῖνος γὰρ ὅτ' ἦν ἐν τῇ ἡλικίᾳ, παρὸν μετὰ πολλῶν χρημάτων γῆμαι ἄλλην, τὴν ἐμὴν μητέρα ἔλαβεν οὐδὲν ἐπιφερομένην.[3])

Tamen factum quoque esse interdum ut filius uxorem petiturus patrem suum consuleret et per se facile est ad intellegendum et apparet ex eadem Lysiae oratione: pater enim filio suaserat ut propter honestissimos quos adepturus esset affines parva dote contentus esset.[4]) Alibi apparet adulescentibus quoque interdum ab aliis idoneam uxorem quaeri solitam esse. Cuius rei exemplum exstat apud Isaeum in Oratione de Meneclis

---

[1]) Xen. Oec. VII. 10.
[2]) Lys. XIX. 12–13.
[3]) ibid. 14.
[4]) ibid. 16.

hereditate: ibi Menecli seni uxorem convenientem quaerenti uxoris suae fratri adulescenti, quem filium adoptaverat, res bene successisse videtur: sic enim ipse filius loquitur: πραχθέντων δὲ τούτων ἐσκόπει ὁ Μενεκλῆς γυναῖκα μοι, καὶ ἔφη με χρῆναι γῆμαι καὶ ἐγὼ λαμβάνω τὴν τοῦ Φιλωνίδου θυγατέρα. [1])

Iam postquam exposuero quae causae in universum virum moverint, ut uxorem duceret, inquirere mihi in animo est in peculiares rationes observatas in coniuge eligenda.

§ I. Primarium autem inter omnes causas locum obtinet liberorum desiderium. E compluribus scriptorum locis apparet ubicumque de matrimonio ineundo agatur, Graecos de liberis procreandis cogitare. Neque virgo nuptura neque iuvenis uxorem ducturus id sibi propositum habent, ut vitae gaudia atque dolores inter se consocient; immo matrimonium initur futurorum liberorum causa, est coniunctio duorum hominum ideo facta, ut tertium pariant, ne tota familia intereat. Quod optime illustratur his Menandri versibus:

παίδων ἐπ' ἀρότῳ γνησίων
δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα, [2])

quos qui servavit Clemens Alexandrinus hanc iis praemittit matrimonii definitionem: γάμος μὲν οὖν ἐστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. [3]) Unde fit ut is qui liberis careat alteram tantum sortis humanae partem accepisse dicitur: domus eius ἡμιτελής est, ut utar verbo Homerico. [4])

---

[1]) Is. II. 18.
[2]) fr. 720 apud Kock.
[3]) Cl. Alex. Strom. II. 23.
[4]) Ilias. II. 701.

Priusquam autem exponam, quibus de causis Athenienses familiam suam non exstingui tanti fecerint, nonnullos e scriptoribus atque poetis locos afferre mihi liceat, quibus ostendam liberi ut procrearentur primarium fuisse matrimonii propositum; amorem vero coniugalem, si qui forte inveniatur, semper tamen secundum obtinere locum.

Incipiam a paucis locis ex Euripide, qui quamquam quanta esset vis amoris probe sibi conscius fuerit, tamen saepius demonstrat se quod attinet ad matrimonii ineundi causam rationemque ab aequalibus suis haud dissensisse.

Sic Orestes amico Pyladi secum mori cupienti Iphigeniae crudeli manu suadet ut in Graeciam redeat: Electram eum uxorem ducere debere, liberosque ex ea gignere, ne Agamemnonia stirps plane intereat.[1])

Similiter Polynices, qui unus ἐκ τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας clam in urbe penetravit, a matre Iocaste his verbis salutatur:

σὲ δ' ὦ τέκνον, καὶ γάμοισι δὴ
κλύω ζυγέντα παιδοποιὸν ἄδονὰν
ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν.[2])

Liberorum igitur possessionem ante omnia ponendam esse Iocaste censet; hic unicus ei est matrimonii fructus.

Ipsa quoque uxor facile intellegit et probat maritum liberos sibi anteferre. Medea e.g. cognovit Jasonem se domo eicere velle filiamque Creontis uxorem ducere, quamquam ipsa venenis suis vitam eius servaverit et, quod maius est, etiam suum ipsius fratrem Absyrtum pro Jasone morti obtulerit. Nihil tamen gravius esse censet quam quod cum duos ei liberos pepererit, orbitas repudiandi causa esse non potest; ignoscere ei posset si liberi deessent:

[1]) Eur. Iph. Taur. 695.
[2]) Eur. Phoen. 337—340.

εἰ γὰρ ἦσθ' ἄπαις ἔτι,
συγγνωστὸν ἦν σοι τοῦδ' ἐρασθῆναι λέχους.[1])

Jason ipse aperte concedit se neque uxorem repudiaturum esse neque Creusam domum ducturum, ut liberorum numerum augeat; hanc ob causam se reiecta coniuge barbara regis filiam ducere velle, ut maiori apud Corinthios sit honori:

οὐδ' εἰς ὁμιλίαν πολύτεκνον σπουδὴν ἔχων·
ἅλις γὰρ οἱ γεγῶτες οὐδὲ μέμφομαι·[2])

Hinc quoque apparet spectatoribus Graecis haud absurdum visum esse cum repudiari uxorem a marito non contento liberorum ex ea prognatorum numero, tum divortium fieri cum coniuge omnino sterili. Tamen alios aliter de hac re iudicavisse apparet ex eis, quae Herodotus nobis narrat de Anaxandride rege Spartanorum; eum filiam sororis uxorem duxisse, quae quamvis ab eo amatam liberos non pareret; tum Ephoros regem monuisse se, si sibi ipse non consuleret, ei concedere non posse, ut domus Eurysthenis exstingueretur eique suasisse ut priore uxore repudiata novum matrimonium iniret. Regem autem respondisse eos sibi pravum consilium dare neque se iis obtemperaturum[3]); ex quo patet hunc saltem honestum non ducere uxorem repudiare, quia liberos non peperisset. Cum qua Herodoti narratione comparari potest quod tradit Xenophon, secundum opinionem nonnullorum Alexandrum regem Thessaliae uxorem eiecisse, quod liberos non pareret, alios vero aliter rem explicavisse.[4]) Neglegendum autem non est et apud

---

[1]) Eur. Medea 490—91.
[2]) ibid. 557—58.
[3]) Her. V. 39.
[4]) Xen. Hell. V. 4. 37.

Herodotum et apud Xenophontem agi de regibus, quibus ut uxorem sterilem repudiarent concessum fuisse non est quod mireris: reipublicae enim intererat domum regiam non interire.

Iam post Euripidem poetam Xenophontem, hominem a poesi alienissimum, audiamus de causis matrimonii disputantem. Facit igitur Xenophon Socratem cum filio suo Lamprocle colloquentem, quem monet philosophus, ne putet homines ἀφροδισίων ἕνεκα liberos procreare i. e. matrimonium legitimum inire. Nam ut libido expleatur μεσταὶ μὲν αἱ ὁδοί, μεστὰ δὲ τὰ οἰκήματα; immo viros eas feminas domum ducere, quas arbitrentur robustissimam progeniem parituras esse.[1])

Neque in Oeconomico de matrimonii proposito Xenophon tacet; ibi enim Ischomachus ubi narrat quid cum coniuge recens nupta collocutus sit duas res homines spectare contendit, ubi nuptias celebrent: primum ne genus humanum intereat, deinde ut senectuti suae prospiciant, filios sibi parantes γηροβοσκοὺς futuros.[2]) Quamquam autem a compluribus, quae ex Atticis oratoribus novimus exemplis longissime amore coniugali distat Ischomachus, qui uxorem maximo honore domi suae haberi velit, tamen hic quoque liberorum procreationem praecipuam matrimonii ineundi causam esse censet; vix ulla ei est cum coniuge intima mentis animique coniunctio.

Postremo nonnullos locos ex oratoribus afferam. Incipiam ab Isocrate, qui in oratione nona Cypriorum cultum et humanitatem ab Euagora auctam et aliis verbis laudat et his: νῦν δὲ τοσοῦτον μεταπεπτώκασιν ὥσθ' ἁμιλλᾶσθαι μὲν, οἵτινες αὐτῶν δόξουσι φιλέλληνες εἶναι μάλιστα, παιδοποιεῖσθαι

[1]) Xen. Mem. II. 2. 4.
[2]) id. Oec. VII. 18.

δὲ τοὺς πλείστους αὐτῶν γυναῖκας λαμβάνοντας παρ' ἡμῶν.[1]) Hic quoque videmus virgines non propter ipsarum virtutes seu corporis seu animi in matrimonium duci, sed ut liberos maritis pariant. Alibi apud eundem manifestum est virum in uxore eligenda ipsius vix ullam rationem habuisse; id certe ei multo gravioris ponderis esse visum ex qua gente esset prognata; ex nulla enim familia filium adoptare ei magis in votis fuisse quam ex ea ἐξ ἧσπερ καὶ Φύσει παῖδας ἐζήτησεν αὐτῷ γενέσθαι.[2])

Egregie haec omnia concinnant cum notissima illa matrimonii definitione, quam Demostheni debemus: habemus, inquit, τὰς γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον Φύλακα πιστὴν ἔχειν.[3])

Fortasse aliunde quoque colligere potueris liberos viris maximae curae fuisse, uxorem secundum locum tantum tenuisse.

In monumentis enim litterariis perscrutandis cum locos, quibus parentes, amici, propinqui, uxores, liberi deinceps referuntur, collegissem, ordinem attendi quem unusquisque scriptor in iis enumerandis secutus esset; nempe fieri posse putabam ut aliquid emolumenti redundaret ad inquisitionem nostram ex iis locis, ubi uxores et liberi una commemorantur. Poetas hac in re missos facere oportet, utpote qui, legibus metricis astricti, in vocabulorum ordine constituendo liberi non fuerint: prosae vero orationis scriptoribus liberior fuit dicendi potestas, unde nescio an ex ordine ab his adhibito argumentum eruere liceat, liberos viris *summae* curae fuisse, uxorem secundum gradum tenuisse.

---

[1]) Isocr. IX. 50.

[2]) id. XIX. 46.

[3]) Dem. LIX. 122.

Quis igitur non novit formulam, qua mulieres liberique copulate significantur, lingua nostra („vrouwen en kinderen") enuntiari solere ordine illo inverso, quo scriptores Graeci fere usi sunt? Id mea quidem sententia vix ac ne vix quidem fortuitum esse potest: immo unusquisque id, quod summi pretii vel maximi momenti videtur, sive in loquendo seu in scribendo in priore loco semper ponit.

Cuius rei exempla nonnulla afferre lubet. Apud Herodotum legimus Darium Paeonios expelli iussisse καὶ τὰ τέκνα τε καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν.[1])

Apud eundem alibi[2]) Delphi hostibus appropinquantibus τὰ τέκνα τε καὶ τὰς γυναῖκας trans mare in Achaiam misisse dicuntur atque idem ordo paulo inferius[3]) reperitur; sequenti vero capite[4]) legimus imperatum esse Atheniensibus ut servarent τὰ τέκνα καὶ τοὺς οἰκέτας, ubi scriptorem voce οἰκέτας etiam uxores comprehendisse verisimile est. Rursus uxor primo loco nominatur, cum Atheniensium uxores, certiores factae Lycidam senatorem ad Mardonii condiciones iamiam accessurum, domum eius se contulisse dicuntur atque τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα lapidibus obruisse.[5])

Ex hisce locis moneo liberos et uxores quater summatim inferri, postremo autem loco agi de coniuge ac de prole *unius* viri, unde forsitan discrepantia in vocabulorum ordine explicari possit.

Apud Xenophontem ordo magis est varius, cum

---

[1]) Her. V. 14.
[2]) id. VIII. 36.
[3]) ibid. 40.
[4]) ibid. 41.
[5]) id. IX. 5.

bis liberos prius posuerit: παυσώμεθα αἰσχυνόμενοι καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ πρεσβυτέρους καὶ ξένους [1]) et in sententia illa notissima: ἄνδρες, νῦν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα νομίζετε ἀμιλλᾶσθαι, νῦν πρὸς τοὺς παῖδας καὶ τας γυναῖκας,[2]) ter rursus mulieres in priore parte collocaverit, sc. in Cyropaedia, ubi rex Assyrios alloquitur [3]), atque ibidem in verbis quae Cyaxares ad Cyrum facit: ἴσθι δ' ὅτι οὐ σὺ μᾶλλον τὰς ἐκείνων γυναῖκας καὶ παῖδας λαβεῖν ἐπιθυμεῖς ἢ ἐκεῖνοι σῶσαι, [4]) ubi fortasse aliquis dicat mulieres hostibus pretii maioris visas esse quam liberos eamque ob causam prius significari, sed tertio quem citabo loco aeque minus atque primo causa ulla afferri potest, cur mulieres prius posuerit: narrat enim, milites dormire non potuisse ὑπὸ λύπης καὶ πόθου πατρίδων, γονέων, γυναικῶν, παίδων, οὓς οὔποτ' ἐνόμιζον ἔτι ὄψεσθαι [5]). Ergo e scriptis Xenophontis argumentum quod ad rem nostram faciat sumi non posse satis liquet.

Apud oratores res aliter se habet, quos deinceps recensebimus ordine temporum servato.

Apud Antiphontem et Andocidem quoniam exempla in promptu non sunt, Lysiam iam inspiciamus.

Is liberos quater ante mulieres posuit [6]), ter prius mentionem fecit mulieris [7]). Ex his tamen locis primus non multum valet ad probandum, quia ibi Euphiletus contendit Eratosthenem adulterum iniuriam fecisse εἰς

---

[1]) Hell. VII. 1. 30.
[2]) Anab. III. 4. 46.
[3]) Cyr. III 3. 44.
[4]) ibid. IV 1. 17.
[5]) Anab. III. 1. 3.
[6]) Lys. II. 34, II. 39, II. 75, XII. 96.
[7]) id. I. 26, XXI. 24, II. 71.

τὴν γυναῖκα τὴν ἐμὴν καὶ εἰς τοὺς παῖδας τοὺς ἐμούς.[1]) Altero tamen loco[2]) causa nulla est propter quam uxor prius nominetur: οὐδ' ἐμνήσθην γυναικὸς οὐδὲ παίδων τῶν ἐμαυτοῦ. Quamquam aliquis inferre possit virum hic suae ipsius uxoris facere mentionem, ceteris vero locis quos attuli summatim de mulieribus esse sermonem, quoniam locus tertius est: χήρας δὲ γυναῖκας ἐποίησαν, ὀρφανοὺς δὲ τοὺς αὑτῶν παῖδας ἀπέλιπον.[3]).

Isocrates quinquies[4]) παῖδας καὶ γυναῖκας scripsit, nullum locum inveni, ubi alterum ordinem posuit. Mirata autem sum, quod semper τοὺς γονέας ante τοὺς παῖδας nominat[5]); alii enim oratores hoc plerumque non faciunt. Quod fortasse ita explicari potest ut auditores valde hortetur ut parentes maioresque quam maxime colant et exemplum eorum sequantur. In oratione Isaei etiam filiae ante uxorem nominantur[6]). Ex se videlicet intellegitur eum, qui in oratione, cui titulus περὶ τοῦ Φιλοκτημόνος κλήρου verba facit, de Euctemone, qui uxorem suam meretricis gratia deseruit, dicere: καταλιπὼν καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας[7]). Lycurgus uno tenore nominat ὑπὲρ πατέρων καὶ παίδων καὶ γυναικῶν καὶ πατρίδος καὶ ἱερῶν[8]) et procedente oratione quater παῖδας καὶ γυναῖκας posuit.[9]) Loco ultimo rhetor asseverat fas esse, ubi de proditione patriae iudicatur παῖδας καὶ γυναῖκας παρακαθισαμένους

[1]) Lys. I. 26.
[2]) id. XXI. 24.
[3]) id. II. 71.
[4]) Isocr. III. 36. 39, V. 48, VI 73, VIII. 113.
[5]) id. VI. 73 et 110, VIII. 93 et 113.
[6]) Is. VI. 39—40.
[7]) id. VI. 21.
[8]) Lyc. c. Leocr. 2.
[9]) l. c. 16, 53, 141 in initio et in fine.

ἑαυτοῖς δικαστὰς δικάζειν. Aliquanto inferius Lycurgus Athenienses his verbis, ut Leocratem supplicio afficiant hortatur: ἐπειδὴ .... ἀναγκαῖον ὑμᾶς ὑπὲρ ἐκείνων (sc. liberorum et uxorum) δικάζειν, τιμωρησάμενοι οὖν Λεωκράτη καὶ ἀποκτείναντες αὐτόν, ἀπαγγείλατε τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν παισὶν καὶ γυναιξὶν ὅτι ὑποχείριον λαβόντες τὸν προδότην αὐτῶν ἐτιμωρήσασθε[1]). Nunc Demosthenem consideremus; is quinquies[2]) liberos ante mulieres nominat; semel tantum contrarius ordo invenitur[3]). Postremo Dinarchus quater[4]) liberos ante mulieres scripsit.

Inquisitionis nostrae eventus hic est, ut omnino 30ies liberi ante mulierem vel mulieres commemorentur: contrarium ordinem 9ies repperi, in quibus locis duo (Lys. I. 26 et Is. V. 21) sunt ubi de altero ordine ne cogitari quidem potuerit, ita ut sit ratio 30 : 7.

Quae cum ita sint, hoc statuere iam licet: si quis ex ordine, quo mulieres et liberi apud scriptores nominantur, aliquid colligere velit quod quanti utrique eorum a viris aestimari soliti sint edoceat, eventus ille pro argumento qualicumque ei esse possit.

Postremo animadvertendum est conclusionem verborum sive numerum oratorium et ipsum ad rem conducere potuisse, de qua re satis iudicii mihi non est.

Iamque vero post hanc longam digressionem ad propositum nostrum revertamur.

E locis quas supra (p. 43 et 44) attuli iam apparuit

---

[1]) Lyc. l. c. 141.

[2]) Dem. XXVIII. 20. ἀντιβολῶ πρὸς παίδων πρὸς γυναικῶν; LIX. 103, παῖδες δὲ καὶ γυναῖκες ἐξηνδραποδίσθησαν, 104; XVIII. 215 in initio et in fine.

[3]) id. XXVII. 65. ἢ γυναῖκ' ἢ παιδί' αὐτῶν ἐλεήσαντες.

[4]) Din. I. 24. 65. 109. III. 3.

primariam uxoris ducendae causam viris fuisse legitimorum liberorum desiderium. Quod ipsum unde ortum sit quaerentibus, variae ante oculos veniunt causae atque rationes, quas singulas iam tractare mihi in animo est.

A. Primum locum inter eas obtinet pietatis religionisque ratio: necessarius fere Graecis hominibus esse videtur unus certe filius, qui et patri mortuo et avis atavisque iam olim vita defunctis sacra faciat quique servet cultum domesticum. Qua in re Graeci nihil differunt a multis aliis populis et antiquis et recentioribus. Afferri hic denuo libet Leopoldum Schmidt, cuius haec sunt verba: „Es waren vor Allem die abgeschiedenen eigenen Vorfahren, die der Grieche zu ehren verbunden war, und es war eine Folge seiner Verpflichtungen gegen sie, dass er auch dafür Sorge zu tragen hatte, dass sie mit seinem Tode solcher nicht verlustig gingen. So erheischte schon diese Pietätsrücksicht, dass er auf die Erhaltung seiner Familie bedacht war, aber dazu gesellte sich noch das Interesse des Staates, der der Bürger bedürfte, und das der Religion im engeren Sinne, weil die an das Geschlecht geknüpften häuslichen Culte nur auf solche Weise vor dem Untergange bewahrt blieben." [1])

Fustel de Coulanges in libro notissimo nobilissimoque, quo inferorum cultum cum familiaeque gentisque religione coniunxit, idem fere sic exponit: „les croyances relatives aux morts et le culte, qui leur était du, ont constitué la famille ancienne et lui ont donné la plupart de ses règles".[2])

Mortui enim et aliis multis populis antiquis et Graecis erant deorum loco; non solum homines, qui vitae morumque probitate inter alios praestiterant, sed ceteri

[1]) Leop. Schmidt. Die Ethik der Alten Griechen II. p. 133.
[2]) Fustel de Coulanges. La Cité Antique II. p. 49.

quoque omnes post mortem divino honore afficiebantur; id unum intererat inter malos probosque, ubi diem supremum obierant, quod illi etiam mortui terrestris suae vitae studia colere pergebant. Paucos hic citabo locos, qui demonstrent mortuos apud Graecos pro veris diis habitos esse, qui vivis et nocere possent et in rebus adversis auxilio esse.

Hic quoque tragoedia Graeca magnam praebet messem; sic Orestes Aeschyleus apud patris sepulcrum precatur:

πάτερ, τρόποιτι οὐ τυραννικοῖς θανών
αἰτουμένῳ μοι δὸς κράτος τῶν σῶν δόμων. [1])

Apud Euripidem postquam Alcestis pro marito mortua est chorus haec canit:

νῦν δ'ἐστὶ μάκαιρα δαίμων·
χαῖρ', ὦ ποτνι', εὖ δὲ δοίης.
τοῖαί νιν προσεροῦσι Φᾶμαι. [2])

In eiusdem poetae Phoenissis Creon rex Thebarum, cum audivit Menoeceum filium suum se amore patriae commotum morti obtulisse, ut illi iusta faciat ab Iocaste petit, haec addens

τοῖς γὰρ θανοῦσι χρὴ τὸν οὐ τεθνηκότα
τιμὰς διδόντα χθόνιον εὐσεβεῖν θεόν. [3])

Necesse erat mortuis certis temporibus cibum et potum praebere, quod officium ἐναγίζειν vocabatur. Ut redeam ad Choephoros Aeschyleas, Orestes postquam patrem precatus est, ut sibi domus potestatem restituat, spondet se ei sacra facturum, si sibi supplicanti satisfecerit:

οὕτω γὰρ ἄν σοι δαῖτες ἔννομοι χθονὸς
κτιζοίατ'· [4])

---

[1]) Aesch. Choeph. 477—78.
[2]) Eur. Alc. 1003—1006.
[3]) Eur. Phoen. 1320—22.
[4]) Aesch. Choeph. 481.

Subsequatur hic quoque Euripides, apud quem Cassandra lamentatur sortem patrum, quorum sepulcra, postquam filii in bello occiderunt, sanguine victimarum egebunt:

οἳ δ' ἄπαιδες ἐν δόμοις
ἄλλως τέκν' ἐκθρέψαντες, οὐδὲ πρὸς τάφους
ἕσθ' ὅστις αὐτοῖς αἷμα γῇ δωρήσεται.[1])

Neque hoc loco oratores Attici praetereundi sunt, qui eo maioris fortasse in hac re faciendi sunt, quod ipsam aequalium suorum vitam nobis repraesentant. Denuo hic ad secundam Isaei orationem provocandum est, in qua Meneclis filius adoptivus queritur Philonidem id agere, ut adoptione illa reiecta Menecles iam mortuus legitima prole orbetur, atque ut nomen eius stirpitus intereat: ἵνα μήτε τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ μήτ' ἐναγίζῃ αὐτῷ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν.[2]) Alibi apud eundem filii adoptivi officium esse dicitur, ut cultum domesticum servet utque patri adoptivo eiusque maioribus inferias ferat: καὶ τελευτήσαντι αὐτῷ καὶ τοῖς ἐκείνου προγόνοις τὰ νομιζόμενα ποιήσει.[3]) Similiter Menecles filium adoptaverat et aliis de causis et ὅπως μὴ ἔσοιτο ἄπαις, ἀλλ' ἔσοιτο αὐτῷ ὅστις ζῶντα γηροτροφήσοι καὶ τελευτήσαντα θάψοι αὐτὸν καὶ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον τὰ νομιζόμενα αὐτῷ ποιήσοι.[4])

Nusquam autem melius res paucis verbis explicatur quam apud Platonem in Legibus, qui quae iam ante exposuit de necessario filiorum desiderio sic complectitur: ὡς χρὴ τῆς ἀειγενοῦς Φύσεως ἀντέχεσθαι τῷ παῖδας παίδων καταλείποντα ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὑτοῦ παραδιδόναι.[5])

Nec solum mortuorum intererat inferias ferri, sed etiam

---

[1]) Eur. Troad. 380 sqq.
[2]) Is. II. 46.
[3]) id. IX. 7.
[4]) id. II. 10.
[5]) Plato. Legg. VI. 773 E.

consanguineorum, qui iis superstites erant; credebant enim antiqui inferiis neglectis mortuos in terram redire, ut iniuriam sibi illatam ulciscerentur: variis morborum monstrorum prodigiorum malis eos homines afficere, dum inferiis essent placati. Contra cibo potuque lenitos eos viribus suis in bonam partem uti vivisque auxilio esse solere. Hinc mortui precibus adorabantur auxiliumque eorum invocabatur; hinc permagni aestimabatur gentem conservari, ut semper remaneret qui gentilibus iam fato functis sacra faceret. Eadem autem — ut hoc in transitu addam — religio apud Persas antiquas vulgata erat; in quorum codice sacro cui titulus Bhagavad-Gita gravissimis verbis confirmatur gentis quae interierit sacra quoque interire, libisque non acceptis manes insigni calamitate urgeri. Quem locum, qui citat Fustel de Coulanges [1]) monet eandem opinionem diu obtinuisse apud Graecos Latinosque, licet in scriptis eorum quae supersint, eius rei pauca supersint vestigia. Gravissimum vero argumentum praebent leges; sic Athenis archonti lege praescriptum erat, ut caveret, ne ulla familia exstingueretur; de quo praescripto rursus Isaeus citandus est testis locuples, apud quem haec legimus: *πάντες γὰρ οἱ τελευτήσειν μέλλοντες πρόνοιαν ποιοῦνται σφῶν αὐτῶν, ὅπως μὴ ἐξερημώσουσι τοὺς σφετέρους αὐτῶν οἴκους, ἀλλ' ἔσται τις καὶ ὁ ἐναγιῶν καὶ πάντα τὰ νομιζόμενα αὐτοῖς ποιήσων· δι' ὃ κἂν ἄπαιδες τελευτήσωσιν, ἀλλ' οὖν ποιησάμενοι καταλείπουσι. καὶ οὐ μόνον ἰδίᾳ ταῦτα γιγνώσκουσιν, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως οὕτω ταῦτ' ἔγνωσκε· νόμῳ γὰρ τῷ ἄρχοντι τῶν οἴκων, ὅπως ἂν μὴ ἐξερημῶνται, προστάττει τὴν ἐπιμέλειαν.* [2]) Ipsa legis verba

[1]) Fustel de Coulanges. l. c. II. p. 49 et 50.

[2]) Is. VII. 30.

inveniuntur apud Demosthenem; sunt haec: ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν ἐπικλήρων καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κυεῖν.[1])

Praeterea necesse erat filium qui cultum domesticum conservaret natum esse e matrimonio iusto; nothus sacris domesticis arcebatur. Inde sequitur matrimonium fere necessarium esse; fueritne lege praescriptum posthac exquirere conabor. Filiabus autem, cum post matrimonium in mariti gentem transirent, cultum domesticum suscipere non licebat; hinc quoque filii quam maxime a parentibus exoptabantur, spernebantur filiae.

B. Altera liberorum desiderii causa haec erat, quod rei publicae magno civium numero opus erat ad patriam defendendam. Nam continua fere bella inter se gerebant civitates Graecae; militiae autem munus eo gravius singulis civibus incumbebat, quod civium numerus satis erat exiguus prae numero servorum. Vehementi igitur bello coorto fieri poterat, ut tanta occideret virorum multitudo, ut hominis aetatem duraret civium penuria. Quae Argivorum fuit sors post gravem cladem, quam acceperant a Cleomene Lacedaemoniorum rege; tunc enim Ἄργος ἀνδρῶν ἐχηρώθη — sunt verba Herodoti — οὕτω ὥστε οἱ δοῦλοι αὐτῶν ἔσχον πάντα τὰ πρήγματα, ἄρχοντές τε καὶ διέποντες, ἐς ὃ ἐπήβησαν οἱ τῶν ἀπολομένων παῖδες.[2])

Itaque patriam defensoribus augere gravissimum erat civium officium — et viros dico et mulieres; facile enim est intellectu et mulierum condicionem hic neglegendam non esse. Qua de re sic optime disputat Zimmern in libro iam supra allato: „The women of the City State

[1]) Dem. XLIII. 75.

[2]) Her. VI. 83.

world, like the men knew nothing of rights, but only of duties, and they accepted with willing cheerfulness the duties, that were laid upon them by the city. The first and greatest of these was „to save the hearth" by bearing children for the city's service. The men went out to work and to fight, to create and defend the city's material riches; the women stayed at home creating and tending the rarest and truest source of wealth"[1]).

Nullum autem e Graecis literis monumentum aptius est quod demonstret, quantopere civitates Graecae ideo praesertim civium numerum augeri necesse habuerint, ut patriae solum defendi posset, quam nobilissimus ille Thucydidis ἐπιτάφιος λόγος. Alloquitur ibi in fine orationis Pericles eorum, qui occiderunt, parentes, non quo lugeat cum iis, sed ut consolari eos conetur: notum enim iis esse illos vere beatos praedicandos esse, quibus optima contigerit sors, pulcherrimi nempe doloris iis qui vivant, mortis pulcherrimae iis qui occiderint. Consolandi negotium difficillimum esse, nam alieno gaudio saepe homines acrius de suo dolore moneri; dolorem autem moveri non eo amisso quod numquam noveris sed eo, quod olim amatum dilectumque crudeli fato tibi sit ereptum. „Verum" sic pergit Pericles, „bono animo esse debent praesertim ii inter vos quibus novae etiam prolis manet spes: ἰδίᾳ τι γὰρ τῶν οὐκ ὄντων λήθη οἱ ἐπιγιγνόμενοί τισιν ἔσονται, καὶ τῇ πόλει διχόθεν, ἔκ τε τοῦ μὴ ἐρημοῦσθαι καὶ ἀσφαλείᾳ ξυνοίσει."[2]) Videmus his verbis Periclem cives suos, quorum filii modo pro patria mortem obierint hortari ut novos liberos gignant pro salute publica. Magis etiam hodierno

[1]) Zimmern. l. c. p. 332.

[2]) Thuc. II. 44.

lectori mirum videtur, quod Pericles nullam facit mentionem immortalitatis animorum, qua fieri posset, ut post suam ipsorum mortem parentes filios reperirent; terrestris hominum vita Graecis potior erat quam umbrarum, si quam esse credebant, aeternitas.

Alibi autem quanta fuerit belli Peloponnesiaci temporibus civium penuria Thucydides eo ostendit, quod narrat Corcyraeos et Corinthios servorum in bello auxilio usos esse, libertatis praemio proposito.[1])
Tamen Graecis minime mos fuit, ut civium suorum vitae parcerent: immo pro patria morti se devovisse semper et ubique iis summis laudibus dignum esse visum est. Cohaeret hoc cum amore eorum erga patriam, quem semper inter summas virtutes habuerunt. Quod praesertim apparet ex Atticis oratoribus, qui numquam desierunt maiorum virtutem laudare, qui pro patria mori mallent quam servitutem subire. Sic Demosthenes profitetur, temporibus bellorum cum Persis gestorum, Athenienses se non solum sibi parentibusque natos esse existimavisse sed imprimis patriae[2]); apud Lysiam reus quidam, δωροδοκίας insimulatus, his verbis declarat se patriam ceteris omnibus anteponere: οὐδ' εἴ ποτε κινδυνεύσειν ἐν ταῖς ναυμαχίαις μέλλοιμι, οὐδεπώποτ' ἠλέησα οὐδ' ἐδάκρυσα, οὐδ' ἐμνήσθην γυναικὸς οὐδὲ παίδων τῶν ἐμαυτοῦ, οὐδ' ἡγούμην δεινὸν εἶναι, εἰ τελευτήσας ὑπὲρ τῆς πατρίδος τὸν βίον ὀρφανοὺς καὶ πατρὸς ἀπεστερημένους αὐτοὺς καταλείψω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον εἰ σωθεὶς αἰσχρῶς ὀνείδη καὶ ἐμαυτῷ καὶ ἐκείνοις περιάψω.[3])

Postremo Lycurgus in oratione adversus Leocratem

[1]) id. III. 73.
[2]) Dem. XVIII. 205.
[3]) Lys. XXI. 24.

habita, quem patriae in periculis destitutae accusat, ut est orator poeseos amantissimus, satis longum locum citat ex Euripidis Erechtheo, cuius tragoediae argumentum totum versabatur in patriae amore; hinc vel duos afferre hos versus ad rem meam muniendam satis erit:

ἔπειτα τέκνα τοῦδ' ἕκατι τίκτομεν,
ὡς θεῶν τε βωμοὺς πατρίδα τε ῥυώμεθα. [1])

C. Venio nunc ad privatas quas dicere mihi liceat nonnullas rationes quae liberorum illud desiderium vehementissime auxerunt; quarum pars pertinet ad hominum vitam cotidianam usumque terrestrem, pars sublimioris est originis. Permagnus profecto fuit apud Graecos pietatis liberorum erga parentes honos; sed parentes non eum praesertim fructum ex liberis procreandis educandisque se percepturos perabant, ut in senectute cum pietate ab iis colerentur sed ut, ubi ipsis ad victum quaerendum vires non amplius sufficerent, haberent quorum auxilio opibusque vitam sustinere possent.

Ipsa autem verba γηροτροφεῖν et γηροβοσκεῖν atque frequentissimus eorum apud Atticos scriptores usus, ostendunt, quantus fuerit apud Athenienses metus, ne ubi appropinquaret vitae finis, deesset victus cotidianus, deessent opes quibus exhilaretur senectus. Quod qui demonstrent plurimi sunt loci cum apud poetas, tum apud soluti sermonis scriptores, ubi solitariae senectutis mala deplorantur.

Paucos tractabo. In Alcestide Pheres, ubi audivit pro

1) Eur. fr. 362, vs. 14. Cf. Lyc. c. Leocr. 53. ἀλλὰ μὴν Λυτολύκου μὲν ὑμεῖς κατεψηφίσασθε, μείναντος μὲν αὐτοῦ ἐν τοῖς κινδύνοις, ἔχοντος δ'αἰτίαν τοὺς υἱεῖς καὶ τὴν γυναῖκα ὑπεκθέσθαι, καὶ ἐτιμωρήσασθε.

Admeto filio suo uxorem eius mortem obisse et aliis verbis eam laudat et his:

ἴτω· τὸ ταύτης σῶμα τιμᾶσθαι χρεών,
ἥτις γε τῆς σῆς προύθανε ψυχῆς, τέκνον,
καί μ' οὐκ ἄπαιδ' ἔθηκεν οὐδ' εἴασε σοῦ
στερέντα γήρᾳ πενθίμῳ καταφθίνειν. [1])

Pheres autem regis pater et ipse olim rex non tam metuebat, ne paupertate in senectute vexaretur quam ne a filio destitutus solus vitam ageret. Alia res esse videtur in Supplicum Euripidearum choro, ubi postquam Adrastus narravit de sociis belli qui occiderunt, mulieres exclamant:

ἰὼὰ τέκνον δυστυχῆ σ'
ἔτρεφον, ἔφερον ὑφ' ἥπατος
πόνους ἐνεγκοῦσ' ἐν ὠδῖσι· καὶ νῦν
Ἅιδας τὸν ἐμὸν ἔχει
μόχθον ἀθλίας, ἐγὼ δὲ
γηροβοσκὸν οὐκ ἔχω
τεκοῦσ' ἃ τάλαινα παῖδα. [2])

Similiter Clytaemestra apud Aeschylum in extremo vitae discrimine Orestem filium suum matricidium commissurum, obsecrat ut curam, quam ipse puero ei praebuerit, senescenti matri reddat:

ἐγώ σ' ἔθρεψα, σὺν δὲ γηρᾶναι θέλω. [3])

Pietas autem ἐν τῇ γηροβοσκίᾳ nusquam insignius elucet quam in Sophoclis Oedipode Colonaeo: Antigone ibi filia patri caeco facto deesse non vult, errantem comitatur, labantem sustentat.

Minus sublimem hac quoque in re Xenophontis mentem

[1]) Eur. Alc. 619 sqq.
[2]) Eur. Suppl. 919 sqq.
[3]) Aesch. Choeph. 907.

fuisse nemo mirabitur; apud quem Ischomachum iam audivimus hos matrimonii fructus laudantem τὸ μὴ ἐκλιπεῖν ζῴων γένη et τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι [1]). Paulo autem supra exposuerat senectutis hoc praesidium imprimis parari posse liberis bene educandis; sic enim cum uxore se locutum esse narrat: τέκνα μὲν οὖν ἦν θεός ποτε διδῷ ἡμῖν γενέσθαι, τότε βουλευσόμεθα περὶ αὐτῶν, ὅπως ὅτι βέλτιστα παιδεύσομεν αὐτά· κοινὸν γὰρ ἡμῖν καὶ τοῦτο τἀγαθόν, συμμάχων καὶ γηροβοσκῶν ὅτι βελτίστων τυγχάνειν. [2])

Frequens verbi γηροτροφεῖν nominumque ad eandem stirpem pertinentium usus est apud oratores, e quibus tres iam producam locos, a Lysia hic quoque incipiens; apud quem Agorato obicitur, quod magnum civium numerum in vincula coniciendos atque supplicio efficiendos curavit: οἳ οὐδὲν κακὸν τὴν πόλιν ποιήσαντες, ἠναγκάζοντο αἰσχίστῳ καὶ ἀκλεεστάτῳ ὀλέθρῳ ἀπόλλυσθαι, οἱ μὲν γονέας πρεσβύτας καταλείποντες, οἳ ἤλπιζον ὑπὸ τῶν σφετέρων αὐτῶν παίδων γηροτροφηθέντες, ἐπειδὴ τελευτήσειαν τὸν βίον, ταφήσεσθαι. [3]) Citare dehinc possum Isocratem, qui Plataeenses, cum auxilium Atheniensium contra Thebanos invocant, querentes inducit, quod magna calamitate affecti, atque ex sua terra eiecti nullum iam vitae gaudium habituri sint: τίνα γὰρ ἡμᾶς οἴεσθε γνώμην ἔχειν ὁρῶντας καὶ τοὺς γονέας αὐτῶν ἀναξίως γηροτροφουμένους. [4]) Denique huc faciunt Demosthenis verba ex oratione funebri: χαλεπὸν πατρὶ καὶ μητρὶ παίδων στερηθῆναι καὶ ἐρήμοις εἶναι τῶν οἰκειοτάτων γηροτρόφων. [5]) Gravissime igitur peccat is qui περιεῖδε τὸν αὑτοῦ πατέρα

---

[1]) Xen. Oec. VII. 18.
[2]) ibid. 12.
[3]) Lys. XIII. 45.
[4]) Isocr. XIV. 48.
[5]) Dem. LX. 36.

καὶ ζῶντα τῶν ἀναγκαίων σπανίζοντα καὶ τελευτήσαντα οὐ τυχόντα τῶν νομίμων, ut Dinarchi verba afferam.[1])

Si quis vero legitima prole caret, orbitatis utilissimum remedium est adoptio; unde fit ut turpissimum esse iudicetur eum, qui ipse liberos habeat, alterius adoptioni invidere.[2]) Haud raro autem adoptionis commoda enumerantur haec:

1. *senectutis inopiam aliaque incommoda a filiis adoptivis sublevari.*[3])
2. *curam exsequiarum atque sepulcri iis mandari.*[4])
3. *nomen gentis per eos ab interitu servari.*[5])
4. *inferias ab iis ferri.*[6])
5. *cultum domesticum ab iis observari.*[7])

Quorum commodorum id praesertim, quod primo loco posui, hic memorandum est.

Tamen necessarium non habetur filium adoptare ei cui filia est. Quod magis est, etiam filiae adoptantur. Sic apud Isaeum: Ἀγνίας οὖν, ὅτε ἐκπλεῖν παρεσκευάζετο πρεσβεύτων ἐπὶ ταύτας τὰς πράξεις, αἱ τῇ πόλει συμφερόντως εἶχον, οὐκ ἐφ' ἡμῖν τοῖς ἐγγύτατα γένους, εἴ τι πάθοι, τὰ ὄντα κατέλιπεν, ἀλλ' ἐποιήσατο θυγατέρα αὐτοῦ ἀδελφιδῆν.[8]) Quibus verbis ut filiam adoptatam esse apparet quae ἐπικλήρου loco esset[9]), ita verisimile est filios saepe adoptatos esse, ut hereditatem acciperent. Atheniensium enim legibus

[1]) Din. II. 8.
[2]) Is. II. 23—25.
[3]) ibid. 10, 25, 36, 45.
[4]) Is. II. 10, 25, 36, 45 et IX. 4.
[5]) Is. II. 36, 37, 46.; Dem. XLIV. 48.; Isocr. XIX. 35.
[6]) Is. II. 10, 46. IX. 7.
[7]) Is. IX. 7.
[8]) Is. XI. 8.
[9]) Beauchet. l. c. II. p. 50. 3.

interdictum erat, ne quis rem familiarem cuiquam testamento relinqueret, nisi ei qui esset heres legitimus.[1])

Hinc quoque liberorum illud desiderium quo ardebant cives Athenienses quadamtenus explicari potest.

Adoptatur autem potissimum — id quod sua sponte intellegitur — aut unus e cognatione vel affinitate proximis, ut sororis filius, aut ex ea gente ex qua liberos gignere olim cupiverat pater adoptivus; ut Menecles uxori cui non contigit ut filium filiamve pareret, libertate reddita, unum ex fratribus eius adoptavit.[2])

Mos erat ut tum demum filius adoptaretur, si deessent liberi legitimi[3]); interdum tamen factum est, ut civis Atheniensis angustiis rei familiaris coactus peregrinum aliquem adoptaret qui ipse civitatem Atheniensem adeptus, patri adoptivo opem ferret.[4]) Alias contra pater propter inopiam filium alteri adoptandum tradidit, ut ingenue educari posset.[5])

Iam videamus utrum parentes in senectute alendi officium ad filios tantem pertinuerit, an filiae quoque hac in re suas habuerint partes. Qua in quaestione versantibus insignis nobis occurrit Herodoti locus; eum dico locum, omnibus notissimum, quo scriptor ut ostendat Aegyptiorum mores moribus ceterorum mortalium plane fuisse contrarios, et alia exempla affert permulta et contendit filiorum quod ad parentes alendos attineret liberum fuisse arbitrium, filiabus contra more tradito id negotium incubuisse.[6]) Unde effeceris apud Graecos filias nullo tali officio obstrictas fuisse. Qua tamen de

---

[1]) ibid. II. p. 5.
[2]) Is. II. 10—13.
[3]) Is. XII. 1—3.
[4]) Is. XII. 3.
[5]) id. X. 17.
[6]) Her. II. 35.

re aliunde nihil constat; nam apud Isaeum ubi in oratione de Cironis Hereditate verbis ὁ νόμος κελεύει τρέφειν τοὺς γονέας [1]) ad ipsam Atheniensium legem provocatur, additur quinam γονῆς εἰσίν, sed non additur utrum viris tantum an mulieribus quoque impositum sit alendi officium. Nec magis clara res est apud Isaeum I. 39. ubi avum inopem alere nepotis esse dicitur, neque in hoc ex Heraclidis Euripideis versu:

παιδὸς μελήσει παισὶ τοῖς λελειμμένοις [2])

Neque verba τρέφειν, γηροβοσκεῖν, γηροτροφεῖν, θεραπεύειν semper unum idemque significant: saepe enim propria significatione accipienda sunt, ut apud Lysiam ubi ὁ ἀδύνατος narrat se a patre nihil hereditate accepisse, matrem vero se victu sustentavisse donec tribus annis abhinc obierit (τὴν δὲ μητέρα τελευτήσασαν πέπαυμαι τρέφων τρίτον ἔτος τουτί); ipsi vero liberos non esse, qui simili ratione senescenti prospiciant (παῖδες δέ μοι οὔπω εἰσὶν οἵ με θεραπεύσουσι).[3]) Eodem modo apud Aristophanem verbum γηροβοσκεῖν adhibitum est in Acharnensibus (vs. 678), ubi senum Acharniensium chorus notissimis his verbis lamentatur:

οἱ γέροντες οἱ παλαιοὶ μεμφόμεσθα τῇ πολει.
οὐ γὰρ ἀξίως ἐκείνων ὧν ἐναυμαχήσαμεν
γηροβοσκούμεσθ' ὑφ' ὑμῶν, ἀλλὰ δεινὰ πάσχομεν.

Quo loco idem significat atque γηροτροφεῖν, quod invenimus apud Isaeum (I. 39) et apud Isocratem (XIV. 48), locis iam supra allatis.

Contra apud Euripidem in Alcestide vs. 663,

τοιγὰρ φυτεύων παῖδας οὐκέτ' ἂν φθάνοις,

[1]) Is. VIII. 32.
[2]) Eur. Heracl. 713.
[3]) Lys. XXIV. 6.

οἱ γηροβοσκήσουσι καὶ θανόντα σε
περιστελοῦσι καὶ προθήσονται νεκρόν,

Phereti, regis patri, verendum non est ne quando victus cotidianus desit (cf. supra p. 59) Nec minus verbum θεραπεύειν a Lysia l. c. *alendi* sensu usurpatum, alibi *colere* potius significat, ut apud eundem oratorem in his verbis: βούλονται γὰρ πάντες ὑπὸ τῶν παίδων θεραπεύεσθαι ἔχοντες χρήματα μᾶλλον ἢ ἐκείνων δεῖσθαι ἀπορροῦντες.[1])

Dignissimum autem est quod observemus tam late patuisse apud Graecos metus, ne senectuti victus deesset: videmus cives Athenienses, maxima ex parte viros locupleti loco natos, ad unum omnes metuentes ne γηροτρόφος sibi defuturus sit. Ipse Ischomachus Xenophonteus, homo minime inops, id sibi permagni momenti esse censet.

Quod eadem ratione explicandum esse mihi videtur qua iam supra usa sum: prae aliis orbis antiqui regionibus terra Attica erat pauperrima, magnaque opulentia ibi erat ignota; singulis civibus praedia si qua erant, modico erant ambitu. Agrorum autem possessor, etiamsi satis amplo victu utebatur, pauper fiebat simulatque senectute debilitatus, dominium filio tradidit cuius liberalitate et benignitate fretus reliquam vitam transigebat.

Praeterea aliae causae valuisse videntur, praecipue apud homines locupletiores qualem Ischomachum videre nobis videmur. Sic fieri potest ut assiduis bellis civilibus, quae et alias calamitates afferebant et relegationes bonorumque publicationes, Athenienses sub finem saeculi quinti atque initium quarti saeculi magis magisque possessionibus suis diffidere coeperint; nemo homo dives certo scire poterat fore ut etiam tum, cum vires corporis deficerent, divitiis suis uti posset.

[1]) Lys. XIX. 37.

Nec minus reputandum est Athenienses multo minore temporis spatio quam nostri aevi homines afuissse a primis generis humani moribus, quibus totus orbis terrarum quasi unus erat ager publicus omnibusque communis: privatorum agrorum possessionem quamquam singuli cives Attici sibi vindicabant, verisimile tamen est eam cogitationem mentibus eorum inhaesisse, agros si non omnibus hominibus communes, attamen eorum tantum dominium esse, qui iis colendis operam darent, unde patrem cui vires corporis senectus diminuisset pendere a filiorum clementia. Prorsus autem eandem rationem obtinuisse apud antiquissimos Europae Asiaeque incolas quos communi Indo-Europaeorum nomine indicare solemus, his verbis exposuit Rudolphus von Jhering in libro „Vorgeschichte der Indo-europäer" [1]):

„Mit der Verheiratung des ältesten Sohnes ging der väterliche Besitz und das Hausregiment von dem Vater auf den Sohn über, die Geschwister, selbst die Eltern hatten ihn fortan als Hausherrn zu respektieren. Es lag dem der vom Standpunkt eines Naturvolks ganz begreifliche Gedanke zu Grunde, dass die Herrschaft demjenigen gebührt, der die Kraft besitzt, sie zu behaupten; ist der Vater alt und schwach geworden, so hat er dem kräftigeren Sohne zu weichen, das aber ist im natürlichen Gange der Dinge der ältestgeborene, da er den nachgeborenen im Alter voraus ist, den Vollbesitz der Kraft also früher erlangt als sie — der physiologische Grund der bevorrechteten Stellung des Erstgeborenen, welche sich bei so vielen Völkern im Recht der Erstgeburt wiederholt, und der Sprache den Anlass geboten hat, den Namen

---

[1]) Jhering. Vorgeschichte der Indo-europäer, p. 52 et 53.

der Ältestgeborenen als Ehrenprädikat zu verwenden. Diese Entsetzung der Eltern durch den Erstgeborenen wiederholt sich auch bei den Germanen, sie hat hier die Gestalt einer Rechtseinrichtung angenommen, die sich Jahrtausende hindurch und bis auf die heutige Zeit behauptet hat: die des Altenteils auf dem Lande. Auch bei den Griechen finden sich Spuren davon. Noch bei Lebzeiten des Laertes erscheint Odysseus als Herrscher auf Ithaka, der Vater sitzt auf dem Altenteil, und in der griechischen Göttersage entthront Kronos den Uranus, Zeus den Kronos, ein Mythus, der was immerhin der Sinn desselben gewesen sein mag, sich nur bilden konnte, wenn das sittliche Gefühl der Urzeit darin nichts anstösziges erblickte; unmöglich konnte man den Göttern etwas andichten, was den Menschen zur Schände gereicht hätte. Was die Götter thun, haben einst die Menschen gethan, die Mythologie enthält eine Quelle der sittlichen Anschauungen der Urzeit, die älteste von allen."

Quibus conferenda sunt ea quae de patrimonii possessione in lege Gortynia observaverunt Kohler-Ziebarth: „Das Vermögen ist entweder Hausvermögen oder Vermögen der Kinder, denn der Haussohn kann durch Arbeit oder durch Erbschaft Vermögen für sich erlangen.

Das Hausvermögen hat die Züge des Indogermanentums viel mehr behalten als im Römischen Recht; denn das Hausvermögen, sowohl das angestammte Gut als die Errungenschaft, gilt nicht als alleiniges Vermögen des Hausvaters, sondern es ist zu gleicher Zeit Vermögen seiner Kinder. Allerdings können diese, solange er lebt, ihren Teil nicht herausverlangen: er allein ist

berechtigt, das Ganze zu verwalten und darüber als guter Verwalter zu verfügen; stirbt er aber, dann kommt es den Kindern in bestimmter Teilung zu, die der Vater nur in beschränktem Masze verändern kann: das während seines Lebens latente Recht der Kinder wird jetzt frei." [1])

Sed ne nostris quidem temporibus sic aestimare plane desierunt homines rustici ut antiquissimi Europae Asiaeque incolae; quod egregie illustratur narratione quadam Octavii Mirbeau [2]), qua narratur seni agricolae octoginta annorum ad victum quaerendum prorsus inutili vel panem cotidianum ab uxore negari his verbis:

„T'as faim... t'as faim... c'est un malheur, mon pauv' vieux... et j'y peux ren... Quand on ne travaille pas... on n'a pas le droit de manger... il faut gagner le pain qu'on mange.... Est-ce vrai, ça?.... Un homme qui ne travaille pas, c'est pas un homme... c'est pus ren de ren... c'est pire qu'une pierre dans un jardin... c'est pire qu'un arbre mort contre un mur"...

„Mais pisque j' peux pas... là... tu le sais ben"... objecta le bonhomme... j' voudrais ben... mais pisque j' peux pas.... pisque les jambes et les bras n'en veulent plus"...

„Est-ce que je te reproche quelque chose?... C'est-y cor de ma faute, là, voyons?... Faut être juste en tout... Moi je suis juste... T'as travaillé, t'as mangé... Tu ne travailles plus... eh ben, tu ne manges plus... Voilà l'affaire!... Y n'y a ren à dire à ça!... C'est comme deux et deux font quatre. Est-ce que tu gar-

[1]) Kohler-Ziebarth. l. c. p. 58 et 59.

[2]) Octave Mirbeau. Les Bouches inutiles, quae narratio invenitur in libro c. t. la Pipe de Cidre.

derais, à l'écurie, le râtelier plein, et de l'avoine dans la mangeoire, un vieux carcan de cheval qui ne tiendrait plus sur ses jambes?... Le garderais-tu?"...

„Non, ben sûr!" répondit loyalement le père François que cette comparaison parut accabler par son implacable justesse...

„Alors!... tu vois!... Faut s' faire une raison!"...

Postquam in somno ei apparuerit caprae imago quam suis manibus iugulavisset cum fetus parere atque lac praebere non amplius posset, senem in lectulo recubantem mortem exspectavisse, sortem suam maerentem quidem, sed tamen haud abnuentem; eadem enim morte olim patrem suum matremque occubuisse, cum vires ad laborandum eos defecissent: homini inerti atque desidi nullum cibi capiendi ius esse.

Sic rusticus igitur ne eo quidem pervenerat ut a filio suo τὰ θρεπτήρια posceret.

Hic videlicet res ad extremum perducta est; attamen Athenienses quoque ea opinione fuisse parentes desides ex liberalitate et benignitate liberorum pendere, ex illis Ischomachi Xenophontei verbis iam supra (p. 60) allatis apparere videtur quibus monet liberos ὅτι βέλτιστα educandos esse ut parentes συμμάχους καὶ γηροβοσκοὺς ὅτι βελτίστους adipiscantur,

D. Nec tamen ita terrestri vitae dedita fuerunt Graecorum ingenia ut non frequenter hac quoque in re sublimiora spectasse censendi sint: ipsos liberos patribus matribusque gaudio fuisse atque felicitatem eorum auxisse permulti scriptorum loci demonstrant.

Multa hic ex tragica poesi haurienda esse consentaneum est; difficillimum autem est diiudicare utrum sententiae

a tragicis heroibus prolatae in ipsa quoque civium vita cotidiana valuisse videantur, an poetae eo progressi sint quo vulgari homini vix esset aditus. Sed videamus singulos poetarum locos.

Apud Euripidem in Ione Ministrae Creusae quae chorum constituunt, ubi audiverunt dominam cum Xutho marito eius Apollinem adiisse ut ἀπαιδίας iam finem daret, magnifice liberorum possessionem laudant, qua fiat ut parentes habeant quibus post mortem bona sua relinquant, quibuscum gaudia atque dolores partiantur, quorum auxilio utantur ubi hostes invaserint; ipsa poetae verba sunt haec:

ὑπερβαλλούτας γὰρ ἔχει
θνατοῖς εὐδαιμονίας
ἀκίνητον ἀΦορμάν,
τέκνων οἷς ἂν καρποτρόΦοι
λάμπωσιν ἐν θαλάμοις
πατρίοισι νεάνιδες ἥβαι,
διαδέκτορα πλοῦτον
ὡς ἔξοντες ἐκ πατέρων
ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις.
ἀλκά τε γὰρ ἐν κακοῖς
σύν τ' εὐτυχίαις Φίλον,
δορί τε γᾷ πατρίᾳ Φέρει
σωτήριον ἀλκάν.
ἐμοὶ μὲν πλούτου τε πάρος
βασιλικῶν τ' εἶεν θαλάμων
τροΦαὶ κήδειοι κεδνῶν γε τέκνων.
τὸν ἄπαιδα δ' ἀποστυγῶ
βίον ᾧ τε δοκεῖ ψέγω·
μετὰ δὲ κτεάνων μετρίων βιοτᾶς
εὔπαιδος ἐχοίμαν.[1])

[1]) Eur. Ion 472—91.

Quanta deinde sit Xuthi felicitas, ubi Ionem filium suum esse agnovit ipsius verba indicant ex hoc diverbio inter patrem filiumque:

ΙΩΝ. χαῖρέ μοι, πάτερ, ΞΟΥ. φίλον γε φθέγμ' ἐδεξάμην τόδε.
ΙΩΝ. ἡμέρα θ' ἡ νῦν παροῦσα. ΞΟΥ. μακάριόν γ' ἔθηκέ με.[1])

Non minus ardens Aegei regis Athenarum est desiderium apud Euripidem qui ubi Medea ei pollicita est:

παύσω δέ σ' ὄντ' ἄπαιδα καὶ παίδων γονὰς
σπεῖραί σε θήσω· τοιάδ' οἶδα Φάρμακα.[2])

statim eam domo sua ἄσυλον excipere paratus est.

„Qui liberis caret", sic fere Andromache Euripidea, „minus dolet, sed vera beatitudo ei ignota est"; cuius verba quoniam ad totum hominum genus pertinent, hic adferre mihi liceat:

πᾶσι δ' ἀνθρώποις ἄρ' ἦν
ψυχὴ τέκν'· ὅστις δ' αὔτ' ἄπειρος ὢν ψέγει,
ἧσσον μὲν ἀλγεῖ, δυστυχῶν δ' εὐδαιμονεῖ.[3])

Quantum gaudium infantes recens nati parentibus praebeant, egregie Euripides depinxit his ex Danae versibus quibus poetam Gallicum audire tibi videris canentem illud „Quand l'enfant paraît":

γύναι, καλὸν μὲν φέγγος ἡλίου τόδε
καλὸν δὲ πόντου χεῦμ' ἰδεῖν εὐήνεμον,
γῆ τ' ἠρινὸν θάλλουσα πλούσιόν θ' ὕδωρ,
πολλῶν τ' ἔπαινον ἔστι μοι λέξαι καλῶν·
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν οὐδ' ἰδεῖν καλὸν
ὡς τοῖς ἄπαισι καὶ πόθῳ δεδηγμένοις
παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν θάλος.[4])

---

[1]) ibid. 562—563.
[2]) Eur. Medea 717—718.
[3]) Eur. Andr. 418. sqq.
[4]) Eur. fr. 318.

Etenim:

δεινόν τι τέκνων φίλτρον ἔθηκεν
θεὸς ἀνθρώποις, [1])

ut alibi Euripides locutus est, quae verba sic in versus formam redigenda sunt:

δεινόν τι τέκνων φίλτρον ἀνθρώποις θεὸς
ἔθηκεν.

Alibi liberos pulcherrimam possessionem esse praedicavit Euripides in his versibus qui e Meleagro servati sunt:

καὶ κτῆμα δ', ὦ τεκοῦσα, κάλλιστον τόδε,
πλούτου δὲ κρεῖσσον· τοῦ μὲν ὠκεῖα πτέρυξ,
παῖδες δὲ χρηστοί, κἂν θάνωσι, δάμασιν
καλόν τι θησαύρισμα, τοῖς τεκοῦσί τε
ἀνάθημα βιότου, κοὔποτ' ἐκλείπει δόμους. [2])

Quin etiam eo progressus est poeta, ut contenderet liberis solum fidem habendam esse:

ὡς οὐδὲν ἀνδρὶ πιστὸν ἄλλο πλὴν τέκνων·
κέρδους δ' ἕκατι καὶ τὸ συγγενὲς νοσεῖ. [3])

Multo rarius eius modi sententiae inveniuntur apud Aeschylum; citabo locum ex Agamemnone, ubi chorus in comparationem vocat amorem patris erga infantem modo natum: Pastor leaenae catulum domi suae nutrivit una cum suis ipsius filiis:

πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις
νεοτρόφου τέκνου δίκαν. [4])

Pueros magis exoptatos fuisse quam puellas et per se intellegitur et exponitur paucis fragmentis a Stobaeo

---

[1]) fr. 103.
[2]) fr. 518.
[3]) fr. 566.
[4]) Aesch. Ag. 724.

allatis; e quibus prae ceteris relatu dignum est hoc Euripidis:

γυνὴ μὲν ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
οὐ τῶν τεκόντων ἐστίν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.
τὸ δ' ἄρσεν ἕστηκ' ἐν δόμοις ἀεὶ γένος
θεῶν πατρῴων καὶ τάφων τιμάορον. [1])

Intimae autem familiaritatis inter patrem et filium Teucer Telamonis filius testis est, qui Helenae roganti a quo in exilium pulsus sit, respondet:

Τελαμὼν ὁ Φύσας. τίν' ἂν ἔχοις μᾶλλον φίλον; [2])

Similiter Hippolytus Theseo patri obicit quod filium celet de calamitate quam acceperit:

οὐ μὴν φίλους γε, κἄτι μᾶλλον ἢ φίλους,
κρύπτειν δίκαιον σὰς, πάτερ, δυσπραξίας. [3])

Naturae vinculum quo parentes liberique continentur patrem magis obstrictum tenet quam matrem apud Graecos, quippe qui censeant hanc servare tantum vitae germina ab illo accepta; sic apud Euripidem Orestes Tyndareo patri Clytaemestrae dicit:

πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς,
τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα. [4])

Gravioribus etiam verbis idem apud Aeschylum expressit Minerva dea quae, ἀμήτωρ γεγονυῖα, materni amoris expers est:

---

[1]) Stob. 77. 1. Hi versus mihi in memoriam vocabant poematium Anglicum, ubi mater quaedam prorsus contrarium affirmat:

My son 's my son, till he gets him a wife,
But my daughter remains my daughter, all her life.

[2]) Eur. Hel. 92.

[3]) Eur. Hipp. 914—15.

[4]) Eur. Orest. 552.

καὶ τοῦτο λέξω, καὶ μάθ' ὡς ὀρθῶς ἐρῶ.
οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένου τέκνου
τοκεύς, τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου. [1])

Contra mater magis quam patrem liberos diligere dicitur in fragmento ex ignota Euripidis tragoedia, idque satis miram ob causam:

αἰεὶ δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός·
ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν ὄνθ', ὁ δ' οἴεται. [2])

qui versus in memoriam vocant ea quae Telemachus satis indecore iocatur de sua ipsius origine: (!)

μήτηρ μέν τέ με φησὶ τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἐγώ γε
οὐ Fοῖδ'· οὐ γὰρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. [3])

Magis profecto naturae convenienter Xenophon explicat cur matris amor maior esse soleat quam patris: εἰδὼς δὲ ὅτι τῇ γυναικὶ καὶ ἐνέφυσε καὶ προσέταξε τὴν τῶν νεογνῶν τέκνων τροφὴν καὶ τοῦ στέργειν τὰ νεογνὰ βρέφη πλεῖον αὐτῇ ἐδάσατο ἢ τῷ ἀνδρί. [4])

Neque quicquam matricidio horribilius esse affirmatur in Euripidis Oreste, ubi tamen observandum est verba fieri a choro mulierum:

τίς νόσος ἢ τίνα δάκρυα καὶ
τίς ἔλεος μείζων κατὰ γᾶν
ἢ ματροκτόνον αἷμα χειρὶ θέσθαι; [5])

Haec e tragoediis; iam transeo ad historicos atque oratores; nam apud eos quoque haud raro videmus quanti parentes liberos existimaverint. Cui hic non in mentem venit notissimae narrationis Herodoti de Solonis colloquio cum rege Croeso, cui roganti quem ex omnibus

---

[1]) Aesch. Eum. 660 sqq.
[2]) Eur. fr. 1015.
[3]) Odyss. I. 215—16.
[4]) Xen Oec. VII. 24.
[5]) Eur. Or. 831 sqq.

mortalibus felicissimum atque beatissimum iudicaret, Solon nominavit Tellum Atheniensem et Cleobis Bitonisque matrem et hanc et illum gaudentem egregia filiorum natura atque indole.[1])

Quod ad oratores attinet, observandum est saepe in iudiciis iurari solere per liberorum capita; eo videlicet consilio ut periurii poena in liberos recidat. Sic Lysias Diogitonis filiam haec dicentem facit: *καὶ περὶ τούτων ἐγὼ ἐθέλω τοὺς παῖδας παραστησαμένη καὶ τούτους καὶ τοὺς ὕστερον ἐμαυτῇ γενομένους ὀμόσαι ὅπου ἂν οὗτος λέγῃ. Καίτοι οὐχ οὕτως ἐγώ εἰμι ἀθλία, οὐδ' οὕτω περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι χρήματα, ὥστ' ἐπιορκήσασα κατὰ τῶν παίδων τῶν ἐμαυτῆς τὸν βίον καταλύειν, ἀδίκως δὲ ἀφελέσθαι τὴν τοῦ πατρὸς οὐσίαν.*[2])

Ex eodem genere est quod apud Demosthenem Cononis accusator audivisse se dicit turpissime acturum esse reum: *Φασὶ γὰρ παραστησάμενον τοὺς παῖδας αὐτὸν κατὰ τούτων ὀμεῖσθαι, καὶ ἀράς τινας δεινὰς καὶ χαλεπὰς ἐπαράσεσθαι καὶ τοιαύτας, οἵας ἀκηκοώς γέ τις θαυμάσας ἀπήγγελλεν ἡμῖν.*[3])

Dixerit quispiam hic praetereundum non esse verbis magniloquis, gravibus lamentationibus eo praesertim consilio accusatores reosque usos esse ut flecterentur iudicum animi, neque ulla re praesertim heliastas magis motos esse quam liberis in iudicium productis, — testem hic esse Aristophanem in Vespis —; nihil igitur hoc argumentum valere ubi inquiras in amorem parentum erga liberos. Equidem non obloquar; attamen arbitror morem quoque liberos in iudicium producendi quadamtenus demonstrare quantopere liberi parentibus cordi fuerint: ipsorum enim iudicum misericordia eo imprimis

---

[1]) Her. I. 30.
[2]) Lys. XXXII. 13.
[3]) Dem. LIV. 38.

excitabatur, quod quasi suos liberos sibi ante oculos venire videbant. Maius etiam est alteri homini imprecari ut liberis orbetur, ut a liberis dolore afficiatur, ut monstra ei pro liberis nascantur: gravissima ea poena habetur quam liberi propter parentes subeant aut parentes propter liberos.

Digni quoque qui afferantur hic sunt tituli sepulcrales, quibus nepotes suos adspexisse summae beatitudinis esse praedicatur; quorum duos hic exscribo:

Κυδίμαχλον χθὼν ἥδε ταφῆς στεγέεσσι καλύπτει,
ὄλβιον εὐαίωνα βίου πλεύσαντα πρὸς ὅρμον·
παῖδας γὰρ παίδων ἐσιδὼν καὶ γῆρας ἄλυπον
τὴν πάντων κοινὴν μοῖραν ἔχει φθίμενος. [1])

et:

Γηραιὰν ἄνοσον παῖδας παίδων ἐπιδοῦσαν
Λύσιλλαν κατέχει κοινοταφὴς θάλαμος. [2])

Praeterea argumento quod dicitur ex contrario uti possumus: quantum liberi valuerint ad felicitatem parentum augendam, apparet ex eo quoque quod saepius orbitatem inter summa vitae humanae mala haberi videmus, praesertim apud tragicos poetas.

Sic in Alcmaeone tyranni liberis carentis vita his verbis deplorabatur:

ὁρᾶτε τὸν τύραννον, ὡς ἅπαις γέρων
φεύγει· φρονεῖν δὲ θνητὸν ὄντ' οὐ χρὴ μέγα. [3])

Non minus Ion, ubi audivit Creusam Apollinem consulere παίδων περί, toto pectore eam miseratur:

ὦ τλῆμον, ὡς τ' ἄλλ' εὐτυχοῦσ' οὐκ εὐτυχεῖς. [4])

---

[1]) I. G. II. 3. 2081.
[2]) ibid. 3903.
[3]) Eur. fr. 76.
[4]) Eur. Ion. 307.

Eodem pertinet quod Medea ut gravissimo dolore Iasonem afficiat, suos ipsiusque liberos interficit: nulla re eum vehementius laedi posse quam orbitate:

οὔτ' ἐξ ἐμοῦ γὰρ παῖδας ὄψεταί ποτε
ζῶντας τὸ λοιπὸν οὔτε τῆς νεοζύγου
νύμφης τεκνώσει παῖδ', ἐπεὶ κακὴν κακῶς
θανεῖν σΦ' ἀνάγκη τοῖς ἐμοῖσι Φαρμάκοις. [1])

Apud Xenophontem quoque nobilis descriptio servata est gravis illius viri doloris, qui filio herede caret. In Cyropaedia enim Gadatas Assyrius, a rege suo eunuchus factus, Cyro dona adferens sic misericordiam eius movet: Ὦ Κῦρε, νῦν μέν σοι ἐγὼ ταῦτα δίδωμι ἐν τῷ παρόντι, καὶ χρῶ αὐτοῖς, ἐὰν δέῃ τι· νόμιζε δ', ἔΦη, καὶ τ' ἄλλα πάντα τ' ἀμὰ σὰ εἶναι. οὔτε γὰρ ἔστιν οὔτ' ἔσται ποτὲ ὅτῳ ἐγὼ ἀπ' ἐμοῦ Φύντι καταλείψω τὸν ἐμὸν οἶκον. ἀλλ' ἀνάγκη, ἔΦη, σὺν ἐμοὶ τελευτῶντι πᾶν ἀποσβῆναι τὸ ἡμέτερον γένος καὶ ὄνομα. καὶ ταῦτα, ἔΦη, ὦ Κῦρε, ὄμνυμί σοι θεούς, οἳ καὶ ὁρῶσι πάντα καὶ ἀκούουσι πάντα, οὔτε ἄδικον οὔτε αἰσχρὸν οὐδὲν οὔτ' εἰπὼν οὔτε ποιήσας ἔπαθον. [2])

Quae dum loquitur lacrimas continere non potest. Cyrus autem ἀκούσας τοῦ μὲν πάθους ὤκτειρεν αὐτόν comiterque ei respondet.

Nonnulli quoque apud oratores inveniuntur loci ubi agitur de orbitate, quam ἐρημίαν etiam dicunt [3]); unum tractabo Antiphontis locum ubi pater cuius filius ἐν τῷ γυμνασίῳ ἀκοντίζων ab uno ex aequalibus per imprudentiam hasta interfectus est, iudices obsecratur, ut caedem

---

[1]) Eur. Med. 803 sqq. [2]) Xen. Cyr. V. 4: 30—32.

[3]) Is. II. 20. 43. cf. Ant. V. 11. Dicit is qui verba facit: ὅρκον τὸν μέγιστον καὶ ἰσχυρότατον, ἐξώλειαν σαυτῷ καὶ γένει καὶ οἰκίᾳ esse. Deinde cf. And. I. 146.

ulciscantur ἐλεοῦντας μὲν τὴν ἀπαιδίαν τῶν γονέων, οἰκτείροντας δὲ τὴν ἄωρον τοῦ ἀποθανόντας τελευτήν [1]), pater autem τοῦ ἀνδροφόνου non minus apte ad commovendos audientium animos demonstrare conatur filium suum innocentem esse, quo damnato „ipse", inquit, εἰς πολλαπλασίους τούτου συμφορὰς ἥξω· ἐπί τε γὰρ τῇ τούτου διαφορᾷ ἀβίωτον τὸ λειπόμενον τοῦ βίου διάξω, ἐπὶ τε τῇ ἐμαυτοῦ ἀπαιδίᾳ ζῶν κατορυχθήσομαι. [2])

Fuerunt tamen et inter Graecos homines μισάνθρωποι qui dubitarent utrum praestaret liberos procreare an non: miseros enim esse cum τοὺς ἄπαιδας tum eos quibus essent liberi; quae dubitatio egregie depicta est his verbis Euripideis:

ἀμηχανῶ δ' ἔγωγε κοὐκ ἔχω μαθεῖν,
εἴτ' οὖν ἄμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα
θνητοῖσιν εἴτ' ἄπαιδα καρποῦσθαι βίον.
ὁρῶ γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἔφυσαν, ἀθλίους·
ὅσοισι δ' εἰσίν οὐδὲν εὐτυχεστέρους.
καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες ἐχθίστη νόσος,
κἂν αὖ γένωνται σώφρονες, κακὸν μέγα,
λυποῦσι τὸν φύσαντα μὴ παθωσί τι. [3])

Alibi omnino liberos procreandos non esse poeta censet propter vitae mala quae ipsos maneant; conferantur modo hi versus ex Euripidis tragoedia ignota:

ἐμοί γε νῦν τε καὶ πάλαι δοκεῖ
παῖδας φυτεύειν οὔποτ' ἀνθρώπους ἔχρην,
πόνους ὁρῶντας εἰς ὅσους φυτεύομεν. [4])

§ II. Nec solum liberorum procreandorum causa matrimonia ineuntur: uxorem viri habere cupiunt

---

[1]) Ant. III. α. 2.
[2]) Ibid. β. 10.
[3]) Eur. fr. 571.
[4]) id. fr. 99.

quae domum custodiat. Quamquam autem in universum concedendum est uxorem post liberos non nisi secundum locum obtinere, difficillimum tamen est efficere qualis fuerit ratio maritum inter et uxorem, quis matronae in vita domestica locus: alii fontes de hac re nobis alia tradunt eaque quam maxime inter se diversa. Nam ut praeteream coniugia Hectoris et Andromachae, Ulixis et Penelopae, Alcinoi et Aretae, quae exemplo esse possunt in aevo quod heroicum dicitur explicanda, aetatis classicae si monumenta literaria inter se comparaverimus, magnam observabimus discrepantiam imprimis inter tragicos poetas atque oratores Atticos; medium fere inter utrosque locum obtinet Xenophon.

Quam tamen discrepantiam priusquam accuratius considerabo, exponere mihi proposui cur et sua ipsorum causa et propter civium suorum communitatem viri Graeci uxorem ducere sibi necessarium esse putaverint; quod paucis verbis ita complecti possumus ut statuamus mulieri eis opus fuisse quae domum custodiret; quam οἴκου φύλακα ipsi dicebant. Etenim apud Athenienses, ut hodie etiam in regionibus meridianis, maiorem partem diei foris peragebant, aut labori cotidiano dediti, aut otium terentes in foro, in tonstrinis, in palaestris; matronae contra — nam de iis solum hic agendum est praetermissis iis mulieribus quae negotio minus honesto victum quaerebant — domibus se continebant, ubi imaginem sibi fingere poterant plenae vitae humanae, quam ceteroquin iis ignotam, fortasse diebus festis sibi solis destinatis — τὴν τῶν θεσμοφοριαζούσων ἑορτήν dico — quadamtenus adspicere sibi videbantur.

Hic quoque dignissimus est quem consulamus Zim-

mernius, qui sic disputat: „Very jealously they were guarded within the peaceful shelter of the home, ringed round like precious possessions from the touch of the outer world. But when we are tempted to smile at the Greek husband's insistance upon the strictest wifely behaviour, we sometimes forget how young and careless and fiery was the masculine society in the midst of which he lived. Where man himself has not yet learned to check each random impulse of his nature, we must not exspect him to grant his women the responsibilities of freedom".[1])

Quo minus autem matrona gaudebat mariti liberorumque amore, eo magis quasi carcere inclusa sibi videbatur; mulieris servitium cum indignatione ferentis instar nobis est ipsa Euripidis Medea quam per totam tragoediam quasi id unum agentem audimus, ut totum genus muliebre maiorem accipiat a viris libertatem. Queritur enim ἡ κολχίς mulieres omnibus orbis terrarum animalibus vitae miseria praestare: magno pretio eis maritum comparandum esse ad cuius arbitrium et nutum omnia agant, utrum boni aliquid praecipiat an mali nihil curantes. Sponsum repudiare eis non licere, divortium dedecori esse. Quod si vir mitis atque humanae sit indolis uxorem beate vivere, sin minus vitae mortem praeferendam esse: tunc enim apparere quam dissimilis sit utriusque coniugis fortuna: virum foris gaudia quaerere posse cum amicis suis atque aequalibus, mulierem vero solo marito contentam esse debere:

ἀνὴρ δ' ὅταν τοῖς ἔνδον ἄχθηται ξυνών,
ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίαν ἄσης,

[1]) Zimmern. l. c. p. 332.

ἢ πρὸς φίλον τιν' ἢ πρὸς ἡλικας τραπείς·
ἡμῖν δ' ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν.[1])

Innumerabiles fere sunt loci ubi summam mulierum virtutem esse praedicatur ut domi maneant; de qua virtute in capite quarto copiosius agere mihi proposui. Ipsa autem Andromache in Troadibus perfectam domus custodem se nobis offert: quamvis cupida foras progrediendi, domi se continet quo melius famae suae consulat:

πρῶτον μέν, ἔνθα κἂν προσῇ κἂν μὴ προσῇ
ψόγος γυναιξίν, αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
κακῶς ἀκούειν, ἥτις οὐκ ἔνδον μένει,
τούτου παρεῖσα πόθον ἔμιμνον ἐν δόμοις
εἴσω μελάθρων·[2])

Quaerentibus autem cur eo quoque tempore quo Athenae maxime floruerint opibus, cum viris nihil esse videretur quod attingere non possent, mulieres antiqua disciplina se liberare non licuerit, sic respondet Zimmern: „One answer, at least, lies here. Athens had in her treasury things both new and old. Much of her greatness consisted, as we saw when we studied her citizenship, in the ennobling and strengthening of some of her most conservative social forces; and of these the wife and the mother, the companion of the hearth and joint pillar of the household, partook in full measure. Athens valued and honoured her wives and mothers, as we can see by a hundred tokens, and she valued and honoured in them the same qualities of service as in her men: self-mastery, self-forgetfulness, courage, and gentleness. And, better than patronage, we too can pay them honour. When, fresh from the jarring social

[1]) Eur. Med. 244—48. [2]) Eur. Troad. 647—51.

conflicts of to-day, we turn to the Greek wife and mother as she is portrayed for us, amid the scenes of her daily life, upon the gravestones and the vases, we moderns feel instinctively that, though those grave and gracious figures may have been lacking in knowledge and freedom and some of the essentials of human dignity, yet they were fine and noble spirits, not unworthy of their city and race." [1])

Sensisse tamen cum viros nonnullos tum mulieres improbandum esse quod tam exigua esset mulierum libertas et alia docent et Medeae verba quae modo citavi. Nec mirum: cui enim homini liberaliter educato placere poterat matronarum adeo servilem esse condicionem ut — testis est locus quidam apud Isaeum — ne cum marito quidem apud alium epulari ei liceret: *οὐδὲ συνδειπνεῖν μετὰ τῶν ἀλλοτρίων, καὶ ταῦτα μετὰ τῶν ἐπιτυχόντων.* [2]) Nec minus aperte quam abiecta fuerit mulierum condicio intellegimus ex Lysiae oratione XXXII. Ibi enim Diogiton filiam uxorem dedit Diodoto fratri suo, qui mercatura dives erat factus; nascuntur iis duo filii atque una filia. Aliquanto post cum Diodoto peregre stipendia facienda essent, fratri suo testamentum tradidit atque *πέντε τάλαντα ἀργυρίου παρακαταθήκην*; putabat enim duplici adfinitatis et propinquitatis vinculo neminem sibi fratre propiorem esse. Mortuo Diodoto turpissime fidem sibi habitam fefellit: filiam suam denuo in matrimonium dedit cum minore pecunia quam custodiendam acceperat; patrimonia liberorum consumpsit, ita ut ubi filius maior natus in civium tabulas receptus esset, nihil reliquum esset, simulans se omnia in liberorum educa-

---

[1]) Zimmern. l. c. p. 333. [2]) Is. III. 14.

tione impendisse, consobrinum eundemque nepotem iam suo victui consulere posse. Qua re audita filii perturbato animo tandem omnia matri narraverunt, eamque duxerunt ad eum cuius in usum orationem composuit orator. „Longum est", sic ille pergit, „describere quanta miseria exinde domi nostrae fuerit; tandem aliquando mater, quae numquam antea cum viris agere consueverat, nimio malo commota eo audaciae progressa est: τελευτῶσα δὲ ἡ μήτηρ αὐτῶν ἠντεβόλει με καὶ ἱκέτευε συναγαγεῖν αὐτῆς τὸν πατέρα καὶ τοὺς φίλους, εἰποῦσα ὅτι, εἰ καὶ μὴ πρότερον εἴθισται λέγειν ἐν ἀνδράσι, τὸ μέγεθος αὐτὴν ἀναγκάσει τῶν συμφορῶν περὶ τῶν σφετέρων κακῶν δηλῶσαι πάντα πρὸς ἡμᾶς. [1])

Permagni tamen momenti atque amplissima ut essent domestica uxoris munera efficiebant ipsa Atheniensium instituta ipsaeque rationes. Iam monui non nisi parvas in Attica fuisse officinas; multa quae hodie fabrorum arte fiunt, apud Athenienses domi curanda erant: lana facienda, telae exercendae, lintea lavanda. Quibus negotiis Nausicaam quam maxime fuisse occupatam pulcherrime descripsit Homerus; haud leviorem facilioremque fuisse mulierum Atticarum vitam, praesertim earum quae rure degebant, et per se ipsum intellegitur et constat e Xenophontis Oeconomico.

Hominum autem qui in tragica poesi nobis repraesentantur vita quoniam simillima est heroum Homericorum vitae, mirandum non est in tragoediis mulieres summis laudibus extolli solere quae domum bene regant. Sic

[1]) Lys. XXXII. 11. cf. Her. II. 35, ubi contendit mores Aegyptiorum prorsus alios esse atque aliorum populorum: ἐν τοῖσι αἱ μὲν γυναῖκες ἀγοράζουσι καὶ καπηλεύουσι, οἱ δὲ ἄνδρες καθ' οἴκους ἑόντες ὑφαίνουσι.

Clytaemestra in Iphigenia Aulidensi praestantiam suam opponit fraudi Agamemnonis, qui simulatione usus uxorem filiamque ut Aulidem venirent pellexit. Laudat autem et alias suas virtutes et parsimoniam qua factum sit ut domesticae opes augerentur:

καὶ τὸ σὸν
μέλαθρον αὔξουτ', ὥστε σ' εἰσιόντα τε
χαίρειν θύραζέ τ' ἐξιόντ' εὐδαιμονεῖν. [1])

Ex eodem genere est quod contendit Euripides bonam uxorem nimiam viri luxuriam profusionemque coercere posse:

οἰκοφθόρον γὰρ ἄνδρα κωλύει γυνὴ
ἐσθλὴ παραζευχθεῖσα καὶ σῴζει δόμους. [2])

Videmus mulieres interdum satis multum potuisse in re domestica administranda. Sed hic non solum poetae consulendi sunt: apud alios quoque scriptores videmus quam ampla fuerint mulierum domestica munera atque negotia. Inspiciamus Xenophontem, [3]) qui ubi Socratem cum Aristarcho quodam colloquentem facit, graviter hunc querentem audimus seditione in urbe orta multos cives Piraeum fugisse, sed complures sorores, consobrinas, amitas domum suam confluxisse, quas propter rei domesticae angustias vix alere posset. Roganti deinde Socrati cur tandem Κεράμων πολλοὺς τρέφων οὐ μόνον ἑαυτῷ τε καὶ τούτοις τὰ ἐπιτήδεια δύναται παρέχειν, Aristarchus respondet istum servos operarios alere, se contra homines liberos, operi atque labori minus aptos. Tum Socrates Aristarchum eo perducit, ut mulieres secum habitantes impellat ad panem coquendam et ἱμάτιά τε ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα καὶ χιτωνίσκους et χλαμύδας et ἐξωμίδας

---

[1]) Eur. Iph. Aul. 1159. sqq. [2]) Eur. fr. 1055. [3]) Xen. Mem. II 2—6.

fabricanda: ostendit homines esse in urbe qui vel una harum artium ample lauteque victum quaerant. Videmus igitur artem panem coquendi et vestimenta fabricandi etiam liberis mulieribus notam fuisse: mos enim erat ut talibus negotiis ancillae domi operam darent, sub matronarum cura atque auspiciis.

Loquebatur Aristarchus de propinquis suis in urbe habitantibus; sed oppidani atque agricolae apud Graecos numquam tanto spatio disiuncti fuerunt quanto apud nostri aevi homines. Ruri autem mulieres iis negotiis intentas esse consuevisse de quibus Aristarchus egit, ex Oeconomico apparet, qui de hac re satis ampla testimonia nobis servavit. Monuisse se uxorem recens nuptam ibi narrat Ischomachus omnium bonorum eam iam sociam esse futuram, eumque optime esse socium, qui optime officio fungatur. Roganti deinde uxori quidnam sui officii esse debeat, exponit virorum esse arare, serere, metere, omnia denique munera obire quibus extra domum fungendum sit, mulieribus contra ea custodienda atque conservanda esse quae domum adducantur quaeque in cellam penariam condantur. Praeterea iis traditam esse et *τὴν τῶν νεογνῶν τέκνων παιδοτροφίαν* et *τὰς ἐκ τοῦ καρποῦ σιτοποιίας* et *τὴν τῆς ἐσθῆτος ἐκ τῶν ἐρίων ἐργασίαν*.[1]) Videmus igitur apud Ischomachum certe et panem domi coqui solere et vestimenta fieri. Paulo post Ischomachus accuratius exponit quomodo singulae res quae ad cibum vestemque pertineant uxori administrandae distribuendaeque sint ita ut in totum annum copia sufficiat. Sed audiamus ipsum: *Δεήσει μέντοι σε, ἔφην ἐγώ, ἔνδον τε μένειν, καὶ οἷς μὲν ἂν ἔξω τὸ ἔργον ᾖ τῶν οἰκετῶν, τούτους συνεκπέμπειν· οἷς δ' ἂν ἔργον*

---

[1]) Xen. Oec. VII. 21.

ἔνδον ἐργαστέον, τούτων σοι ἐπιστατητέον. Καὶ τά τε εἰσφερόμενα ἀποδεκτέον, καὶ ἃ μὲν ἂν αὐτῶν δέῃ δαπανᾶν, σοὶ διανεμητέον, ἃ δ' ἂν περιττεύειν δέῃ, προνοητέον καὶ φυλακτέον ὅπως μὴ ἡ εἰς τὸν ἐνιαυτὸν κειμένη δαπάνη εἰς τὸν μῆνα δαπανᾶται. Καὶ ὅταν ἔρια εἰσενεχθῇ σοι, ἐπιμελητέον, ὅπως οἷς δεῖ ἱμάτια γίγνηται. Καὶ ὅ γε ξηρὸς σῖτος ὅπως καλῶς ἐδώδιμος γίγνηται ἐπιμελητέον.[1])

Addit deinde Ischomachus ancillas si qua forte aegrotet curandas esse; qua re se maximo gaudio affici praeter expectationem exclamat uxor, hac ratione familiam sibi magis deditam fore sperans. Neque auctore Ischomacho dominae, cui totius domus custodia sit, tradita aegre ferre licet quod multo plura atque graviora onera humeris eius imponuntur quam servorum atque ancillarum.

Non minus memorabilis est finis huius colloquii; Ischomachus cum invenit uxorem medicamentis faciei utentem, monet eam talia artificia domesticos familiaresque latere non posse; rogantem deinde quomodo veram pulchritudinem adipisci possit nec solum formosa videri, maritus respondet decere eam non totum diem domi desidere, sed σὺν τοῖς θεοῖς πειρᾶσθαι δεσποτικῶς πρὸς μὲν τὸν ἱστὸν προστᾶσαν, ὅ τι μὲν βέλτιον ἄλλου ἐπίσταιτο ἐπιδιδάξαι, ὅ τι δὲ χεῖρον, ἐπιμαθεῖν· ἐπισκέψασθαι δὲ καὶ τὴν σιτοποιὸν, παραστῆναι δὲ καὶ ἀπομετρούσῃ τῇ ταμίᾳ, περιελθεῖν δὲ ἐπισκοπουμένην εἰ κατὰ χώραν ἔχει ἃ δεῖ ἕκαστα.[2])

Satis ampla profecto fuisse videmus matronarum negotia domestica, nec minus ipsius quam mariti intererat eam quam accuratissime et prudentissime singula officia obire; quoniam autem iam tenera aetate, ut in primo libelli capite exposui, virgines nubere solebant vix dubitari potest quin multis in rebus maritus ei quasi pro

[1]) ibid. 35. [2]) ibid X. 10.

magistro fuerit. Quod non minus ex Ischomachi verbis apparet quam ex colloquio inter Socratem et Critobulum, quorum ille contendit alios viros ab uxoribus egregie adiuvari in re familiari augenda, alios vero per eas pecuniam ceterasque opes perdere. Tum rogat Critobulus utrius hac in re culpa sit, uxoris an mariti; cui Socrates respondet virum noxium esse qui ad *καλοκαγαθίαν* uxorem instituere neglexerit, uxorem contra quae praeceptis mariti non bene obsecuta sit. [1])

Quominus tamen arbitremur intimo cogitationum vinculo coniuges obstrictos fuisse inter se, obstant Socratis Xenophontei verba ea quae sequuntur: apparet animorum coniunctionem vix ullam exstitisse, etiam si vir uxori — verae *οἰκοφύλακι* — totam rem domesticam committeret: *Ἔστιν ὅτῳ ἄλλῳ τῶν σπουδαίων πλείω ἐπιτρέπεις ἢ τῇ γυναικί; — Οὐδενί, ἔφη. — Ἔστι δὲ ὅτῳ ἐλάσσονα διαλέγει ἢ τῇ γυναικί; — Εἰ δὲ μή, οὐ πολλοῖς γε, ἔφη.* [2])

Alia est res apud Lysiam in lepidissima illa oratione prima, ubi Euphiletus narrat se primis matrimonii mensibus uxorem, ut ratio ferret, bene custodivisse; deinde vero ubi filius natus esset, se fidem ei habuisse atque omnia sua ei credidisse, ratus eam sibi proximam esse; atque re vera initio ei erat *οἰκονόμος δεινὴ καὶ φειδωλὸς καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα.* [3]) Manifestum est Euphileto uxorem quasi pro dispensatrice fuisse, a qua ne deciperetur diligenter ei cavendum esset. Satis profecto longo intervallo hic Euphiletus distat ab Ischomacho nostro.

---

[1]) ibid. III. 10—12. [2]) ibid. III. 12. Etiam in Theophrasti Characteribus reperimus mulierem sociam rei familiaris, pecuniae custodem: rogat enim ibi (XVIII. 4) *ὁ ἄπιστος* uxorem suam *εἰ κέκλεικε τὴν κιβωτὸν, καὶ εἰ σεσήμανται τὸ κυλιούχλιον, καὶ εἰ ὁ μοχλὸς εἰς τὴν θύραν τὴν αὐλείαν ἐμβέβληται.* [3]) Lys. I. 6—8.

Neminem autem ex iis qui aliquanto locupletiore loco viverent in civitate Atheniensi diu uxore carere potuisse iam intellegimus; igitur mirum non est post prioris uxoris mortem viro statim novam coniugem quaerendam fuisse: sic Menecles vix uxori mortuae iusta fecit, cum sororem eius, quem postea filium adopturus erat, in matrimonium rogat.[1]) Aptissime igitur Demosthenes, ubi loco iam supra (p. 46) allato distinguit inter ἑταίρας et παλλακὰς et γυναῖκας, viros uxores habere dicit τοῦ παιδοποιεῖσθαι ἕνεκα γνησίως καὶ τῶν ἔνδον γυναῖκα φύλακα πιστὴν ἔχειν.

§ III. Reliquum est ut exquiram an praeter eas causas de quibus iam egi etiam rationes aliquanto sublimiores atque magis excelsae viros moverint ut uxorem ducerent — quatenus certe ex literarum Graecarum reliquiis aliquid ex hoc genere cognoscere licet.

Distingui hic possunt varii animorum motus quibus singuli viri et suam sibi domesticam felicitatem exoptant et amoris — non vulgaris illius sed vere caelestis — desiderio indulgere cupiunt.

a. Ac primum quidem hic observandum est complures praesertim apud poetas locos esse, qui ostendant quanti viri Graeci fecerint privatam illam prosperitatem quam ferre possint uxoris liberorumque cura atque amor. Imaginem hic quasi omnibus numeris absolutam praebet Odyssea, notissimis versibus quibus Nausicaam adloquitur Ulixes:

„οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασι ἠΐκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσιν,
χάρματα δ'εὐμενέεσσι· μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί."[2])

---

[1]) Is. II. 4. [2]) Od. VI. 182 sqq.

quos versus afferendos esse censebam quamquam non pertinent ad aevum de quo praesertim agere mihi proposui.

Haud aliter Hesiodus viro nihil bona uxore praestantius esse contendit, nihil magis detestabile quam uxorem damnosam:

> οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ λαίζετ' ἄμεινον
> τῆς ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο,
> δειπνολόχης· [1])

Cum quibus versibus concinit hoc Sophoclis fragmentum:

> οὗτοι γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
> κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ' ἂν οὐδὲ σώφρονος
> κρεῖσσον· παθὼν δ' ἕκαστος ὧν τύχῃ λέγει.[2])

et haec Euripidis ex Oreste:

> γάμοι δ' ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσιν βροτῶν,
> μακάριος αἰών· οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ,
> τά τ' ἔνδον εἰσὶ τὰ τε θύραζε δυστυχεῖς. [3])

Mariti rerum et secundarum et adversarum participem esse oportet bonam uxorem; sic in Phrixo Euripides dixit:

> Δίκαι' ἔλεξε· χρὴ γὰρ εὐνοίᾳ πόσει
> γυναῖκα κοινῇ τὰς τύχας Φέρειν ἀεί. [4])

In eadem autem tragoedia pulcherrime poeta ostendit quid uxor valere posset in placando mariti nimia calamitate perculsi animo:

---

[1]) Hes. Erga. 702 sqq. [2]) Soph. fr. 621.

[3]) Eur. Or. 602 sqq. Quibuscum cf. Eur. fr. 1056:

> οὐ πάντες οὔτε δυστυχοῦσιν ἐν γάμοις
> οὔτ' εὐτυχοῦσι· συμφορὰ δ' ὃς ἂν τύχῃ
> κακῆς γυναικός, εὐτυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών.

[4]) Eur. fr. 823. cf. fr. 909.

> ἡδὺ δ', ἢν κακόν πάθῃ τι, συσκυθρωπάζειν πόσει
> ἄλοχον ἐν κοινῷ τε λύπης ἡδονῆς τ' ἔχειν μέρος...

γυνὴ γὰρ ἐν κακοῖσι καὶ νόσοις πόσει
ἥδιστόν ἐστι, δώματ' ἢν οἰκῇ καλῶς,
ὀργήν τε πρᾴνουσα καὶ δυσθυμίας
ψυχὴν μεθιστᾶσ'· ἡδὺ κἀπάται φίλων. [1])

Dignus qui hoc quoque citetur locus est ex Iphigenia Aulidensi quem iam supra (p. 83) attuli, ubi Clytaemestra suam virtutem praedicat, qua Agamemnoni felicem praestiterit vitam coniugalem.

Sed et ipsa uxor gaudere cupit amore mariti:

γυναικὶ δ'ὄλβος, ἢν πόσιν στέργουτ' ἔχῃ. [2])

Notatu autem perdignum est in hoc argumento versantem fere non nisi locos ex Euripide afferri posse, quo nullus poeta Graecus maiorem operam collocavit in pervestiganda mulierum indole atque animi natura; nobilis est Wilamowitzii observatio „dass Euripides das Weib für die Poesie entdeckt oder richtiger wiederentdeckt hat" quae verba iam in Introductione attuli. Xenophontem minus magnifice hac in re cogitasse nemini mirum videri potest. Qui in Cyropaedia ubi Croesus dixit se exinde eam vitam agere velle quae et sibi et aliis felicissima visa sit, Cyrum rogantem facit quis iam nunc tali modo vivat; cui Croesus respondet: Ἡμὴ γυνή, εἶπεν, ὦ Κῦρε· ἐκείνη γὰρ τῶν μὲν ἀγαθῶν καὶ τῶν μαλακῶν καὶ εὐφροσυνῶν πασῶν ἐμοὶ τὸ ἴσον μετεῖχε, φροντίδων δέ, ὅπως ταῦτα ἔσται, καὶ πολέμου καὶ μάχης οὐ μετῆν αὐτῇ. [3]) Particeps igitur est uxor Croesi bonorum pro quibus ipsi nullus labor perferendus est nullumque incommodum; quae vitae condicio eam viro longe inferiorem reddit.

Alibi in Cyropaedia Chrysanthes Cyro suadet ut suam sibi familiam condat, ne peiore condicione pergat

[1]) Eur. fr. 822 [2]) id. fr. 1062. [3]) Xen. Cyr. VII. 2. 28.

esse quam amici qui suum colant larem familiarem, cum ipsi omnes vitae publicae labores sustinendi sint; ἢ τί ἀπολαύσαις ἂν τῆς ἀρχῆς, εἰ μόνος ἄμοιρος εἴης ἑστίας, οὗ οὔτε ὁσιώτερον χωρίον ἐν ἀνθρώποις οὔτε ἥδιον οὔτε οἰκειότερόν ἐστιν οὐδέν; [1])

Longe ab his omnibus diversa sunt ea quae apud oratores invenimus. Nec tamen mirum esse videtur quod apud eos vitae coniugalis imago multo minus suavis adspectu nobis ostenditur: ad oratores confugere solebant Graeci — et hodie quoque solent homines — praesertim ubi pax domestica graviter erat perturbata; nam tunc demum vita privata in publicum proferri solet. Audiamus, ut hoc exemplo utar, Antiphontem in prima oratione narrantem:

Ὑπερῷόν τι ἦν τῆς ἡμετέρας οἰκίας, ὃ εἶχε Φιλόνεως ὁπότ' ἐν ἄστει διατρίβοι, ἀνὴρ καλός τε κἀγαθὸς καὶ φίλος τῷ ἡμετέρῳ πατρί· καὶ ἦν αὐτῷ παλλακή, ἣν ὁ Φιλόνεως ἐπὶ πορνεῖον ἔμελλε καταστῆσαι. ταύτην οὖν πυθομένη ἡ μήτηρ τοῦ ἀδελφοῦ ἐποιήσατο φίλην. αἰσθομένη δ' ὅτι ἀδικεῖσθαι ἔμελλεν ὑπὸ τοῦ Φιλόνεω, μεταπέμπεται, καὶ ἐπειδὴ ἦλθεν, ἔλεξεν αὐτῇ ὅτι καὶ αὐτὴ ἀδικοῖτο ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἡμετέρου· εἰ οὖν ἐθέλει πείθεσθαι, ἔφη ἱκανὴ εἶναι ἐκείνῃ τε τὸν Φιλόνεων φίλον ποιῆσαι καὶ αὐτῇ τὸν ἐμὸν πατέρα, εἶναι φάσκουσα αὐτῆς μὲν τοῦτο εὕρημα, ἐκείνης δ' ὑπηρέτημα. ἠρώτα οὖν αὐτὴν εἰ ἐθελήσει διακονῆσαί οἱ καὶ ἡ ὑπέσχετο τάχιστα ὡς οἶμαι. [2])

Brevi post Philoneo in Piraeo sacrificanti aderant concubina et pater eius qui verba facit; illa inter cenam venenum poculis infudit, non quo Philoneum interimeret, sed ut eo magis amorem eius excitaret; philtro enim se uti putabat. Philoneus statim moritur, pater viginti diebus

---

[1]) ibid. VII. 5. 56. [2]) Ant. I. 14—20.

post; concubina veneficii accusata capitis damnatur, sed pater ille suspicatur, id quod erat, eam venenum accepisse a sua ipsius uxore, quae affirmaverat philtro isto amorem Philonei erga concubinam denuo excitari posse.

Praeter cetera autem in hac narratione mirum in modum nos movet matrona amicitiam iungens cum paelice sua, quae digna habetur quae sacris gentiliciis intersit.

Vix magis magnifice sentimus de Atheniensium vita coniugali, ubi Lysiae orationem illam perlegimus de caede Eratosthenis; ubi quae gesta esse exponat reus adeo notum est, ut ampliore narratione opus esse non videatur.

Alibi contra mutuae inter coniuges caritatis tradita sunt satis luculenta indicia; sic Andocides narrat ex iis qui a triginta viris in vincula coniecti essent, ad alium nocte matrem adiisse, ad alium sororem, ad alium uxorem liberosque, ἦν δὲ βοὴ καὶ οἶκτος κλαόντων καὶ ὀδυρομένων τὰ παρόντα κακά....[1]); eadem fere tradit Lysias in oratione adversus Agoratum.[2]) Et hic autem et alibi saepius apparet artius fuisse vinculum inter propinquos affinesque quam inter eos, quos sub eodem tecto viventes animi corporisque nexu quam maxime inter se iunctos fuisse putaveris: fratres et sorores non minus inter se cohaerebant quam uxores et mariti. Hinc homines opulenti propinquos pauperiores alere ad suum officium pertinere censebant atque etiam filias eorum in matrimonium ducere aut certe dotem iis praebere.

b. Felicitatem quam amor coniugalis praebere posset rarissime tantum viros ut uxorem ducerent movisse putaveris, ubi consulueris scriptorum Graecorum locos qui hic sub

[1]) And. I. 48. [2]) Lys. XIII. 39.

censum venire debent; nec tamen indicia huius generis prorsus deficiunt. Minus recte hic Leopoldus Schmidt[1]), argumentis usus tantum non omnibus e tragicis poetis haustis, neglexit fere oratores qui tamen haud minoris momenti aestimandi sunt. Hinc factum est ut vitae coniugalis imaginem lectoribus praeberet cum veritate non ex omni parte convenientem.

Etenim tragoedia, ut iam supra (p. 2) monui non ipsam vitam humanam nobis depingit, sed simulacrum eius aliquanto magnificentius atque elatius. Adspiciamus singula exempla.

Primus hic ante oculos nobis venit Oedipus Sophocleus. Intima ille caritate cum Iocaste coniunctus est; vere hic dixeris unum animum duobus corporibus contineri. Colit eam prae ceteris omnibus; omnium Oedipodis curarum, omnium gaudiorum particeps est uxor, cui exclamanti se dignam esse cum qua angorem animi communicet, respondet ille:

τῷ γὰρ ἂν καὶ μείζονι
λέξαιμ' ἂν ἢ σοί, διὰ τύχης τοιᾶσδ' ἰών;[2])

Quantum haec distant ab Oeconomico Xenophonteo, ubi Critobulus Socrati roganti num quis esset cum quo minus loqueretur quam cum uxore, respondet: Εἰ δὲ μή, οὐ πολλοῖς γε.

Alia apud Sophoclem est ratio inter Aiacem et Tecmessam: diligit Aias uxorem suam, sed diligit ut sibi inferiorem; Tecmessae autem maritus imprimis strenuus defensor est, qui unus ex omnibus hominibus saluti eius consulat.

Quod quamquam hinc explicandum esse iure monuisse

---

[1]) Schmidt. l. c II. c. 4. [2]) Soph. Oed. Tyr. 772—73.

videtur Schmidtius quod Tecmessa ex captiva Aiacis uxor facta sit, minus tamen recte eum statuisse censeo apud ipsos Athenienses coniuges ita vixisse ut Oedipum et Iocastam, ubi uxor magnam dotem attulisset, ut Aiacem et Tecmessam, cum parvis tantum opibus mariti rem familiarem auxisset. Nusquam terrarum umquam ratio quae est inter maritum uxoremque pependit ex dotis amplitudine; neque ea quae oratores nos docent Schmidtii opinioni favent. Neque eo nos ducit ardens ille amor Haemonis erga Antigonam quam sibi olim desponsam etiam ad inferos abeuntem comitatur. Rarissima autem tam vehemens apud Graecos fuisse videtur cupido, cuius descriptio unicum obtinet apud poetas locum.

Alia enim est res apud Euripidem in Alcestide: Alcestis ut maritum servaret voluntariae morti se obtulit, moriturum vero comitari vix ei in mentem venisse videtur: devovet se potius pro Admeto quam ut amore eius se ardere ostendat. Ille autem grato animo beneficium eius accepit; tum demum cum tempus fato destinatum advenit amorem eius quasi novas vires accipere videmus. Singulos fabulae locos adferre supersedeo, uno excepto quo gravissima omnium calamitate se iam affici exclamat Admetus his verbis:

τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον ἁμαρτανεῖν
πιστῆς ἀλόχου;[1])

Non minor est Thesei in Hippolyto desperatio, qui ubi audivit Phaedram sibi ipsam manum intulisse his verbis animum commotum indicat:

χαλᾶτε κλῆθρα, πρόσπολοι, πυλωμάτων,
ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω πικρὰν θέαν
γυναικός, ἥ με κατθανοῦσ' ἀπώλεσεν.[2])

[1]) Eur. Alc. 879—880. [2]) id. Hipp. 808 sqq.

Hic quoque morte uxoris gravius malum sibi accidere non posse arbitratur:

ὤμοι ἐγὼ πόνων· ἔπαθον, ὦ πόλις,
τὰ μάκιστ' ἐμῶν κακῶν.[1])

Id profecto ex locis quos attuli efficere posse mihi videor poetis certe intimam illam inter coniuges caritatem qua tota eorum vita regatur, ita notam fuisse acceptamque ut eam inter summos et insignissimos animorum motus habendam esse censerent.

Sed hic quoque neglegendi non sunt tituli sepulcrales, quibus saepe mariti gravissimum suum dolorem ob uxorem amissam testati sunt. E quibus hos afferre mihi liceat:

I. Πλεῖστομ μὲν καὶ ζῶσα τρόπων σῶν ἔσχες ἔπαινον.
Λυσάνδρου Πιθέως Ἀρχεστράτη ἔγγονε, καὶ νῦν
λείπεις σοῖσι φίλοισι μέγαν πόθον, ἔξοχα δ' αὐτῆς
ἀνδρί, λιποῦσα φάος μοιριδίῳ θανάτῳ.[2])

II. Ἀθάνατος Φιλία σῆς ψυχῆς ἐστι παρ' ἀνδρί.[3])

III. Σῆς ἀρετῆς, Νικοπτολέμη, χρόνος οὔποτε λύσει
μνήμην ἀθάνατον, σῷ πόσει, ἣν ἔλιπες·
εἰ δέ τις εὐσεβίας παρὰ Φερσεφόνει χάρις ἐστίν
καὶ σοὶ τῆσδε μέρος δῶκε τύχη Φθιμένει.[4])

IV. Χαῖρε, τάφος Μελίτης· χρηστὴ γυνὴ ἐνθάδε κεῖται.
Φιλοῦντα ἀντιφιλοῦσα τὸν ἄνδρα Ονήσιμον ἦσθα κρατίστη.
τοιγαροῦν ποθεῖ θανοῦσαν σε, ἦσθα γὰρ χρηστὴ γυνή· —
καὶ σὺ χαῖρε, φίλτατ' ἀνδρῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐμοὺς φίλει.[5])

---

[1]) ibid. 817—818.
[2]) I. G. II. 3. 2477.
[3]) ibid. 4297.
[4]) ibid. 2225.
[5]) ibid. 3931.

V. Χαιρεστράτη Μενεκράτους, Ἰκαριέως γυνή.
Μητρὸς παντοτέκνου πρόπολος σεμνή τε γεραιρά
τῷδε τάφῳ κεῖται Χαιρεστράτη ἣν ὁ σύνευνος
ἔστερξεν μὲν ζῶσαν, ἐπένθησεν δὲ θανοῦσαν·
φῶς δ'ἔλιπ' εὐδαίμων παῖδας παίδων ἐπιδοῦσα.[1])

Ad historicos scriptores et oratores cum transeo, primus proferendus est Herodotus qui initio libri primi narrat de Candaule, Lydiae rege, qui ἠράσθη τῆς ἑωυτοῦ γυναικός, ἐρασθεὶς δὲ ἐνόμιζέ οἱ εἶναι γυναῖκα πολλὸν πασέων καλλίστην.[2]) Quem locum non recte explicasse mihi videtur Steinius, qui contendit verba τῆς ἑωυτοῦ γυναικὸς quasi per prolepsin posita esse, ita ut Herodotus haec fere dicere voluerit: ἠράσθη γυναικὸς καὶ ἔπειτα γήμας αὐτὴν ἐνόμιζε οἱ εἶναι γυναῖκα πολλὸν πασέων καλλίστην. Sic enim totius perit narrationis lepor; equidem magnam vim habere puto pronomen illud ἑωυτοῦ: id imprimis Herodoto notatu dignum visum est, Candaulem suam ipsius uxorem deperisse.

Multo magis nos movet Xenophontis illa narratio de Abradatis et Pantheae amore. Abradates, rex Susorum, socium se Cyro offert ad bellum cum Aegyptiis conficiendum. Panthea uxor eius deinde armis quae e suis ornamentis facienda curaverat ipsa maritum inducit, vix continens lacrimas. Tum per mutuum amorem iurat se malle cum marito suo, viro fortissimo, sepeliri quam indecore vivere cum alio viro; Abradatas autem Iovem praecatus, ut uxore sua se dignum praestet, in currum escendit; quo facto Panthea οὐκ ἔχουσα πῶς ἂν ἔτι ἄλλως ἀσπάσαιτο αὐτὸν κατεφίλησε τὸν δίφρον. Paulo post, ubi Abradatas fortiter pugnans cecidit, Panthea, nutricis preces non curans, ut ante desti-

[1]) ibid. 2116. [2]) Her. I. 8.

naverat animo, manum sibi infert, καὶ ἐπιθεῖσα ἐπὶ τὰ στέρνα τοῦ ἀνδρὸς τὴν ἑαυτῆς κεφαλὴν ἀπέθνῃσκεν.[1])

Alibi tales ἐρωτικοὺς λόγους frustra quaesiveris et apud Xenophontem et apud reliquos scriptores Atticos; neque verisimile est uxores Atheniensium multa talia exempla dedisse amoris sibi omnia denegantis; aliter res se habuisse videtur apud Lacedaemonios, ubi matrimonia multo magis mutuo coniugum amore corroborata fuerunt, quod ex parte hinc explicandum est, quod virgines Spartanae maiore libertate vitam agentes, maritum quoque magis ad suum arbitrium eligere poterant.[2]) Ne amabile quidem illud Ischomachi matrimonium amore coniugali subnixum est: nonnisi utilitatis suae ratione habita uxorem sibi ceperat, ut ipse novae nuptae exponit his verbis quae nobis certe satis aspera videntur: Ὅτι μὲν γὰρ οὐκ ἀπορία ἦν, μεθ' ὅτου ἄλλου ἐκαθεύδομεν ἄν, οἶδ' ὅτι καὶ σοὶ καταφανὲς τοῦτ' ἐστί.[3]) Sic hodie quotus quisque loquatur etiam inter eos qui prudenti tamen ratione ducti matrimonium inierunt. Nec tamen Ischomachi uxor non honestissimo domi eius loco habetur; quin etiam munera et officia muliebria tanti aestimat ut dicat: τὸ δὲ πάντων ἥδιστον, ἐὰν βελτίων ἐμοῦ φανῇς, καὶ ἐμὲ σὸν θεράποντα ποιήσῃς, καί μὴ δέῃ σε φοβεῖσθαι μὴ προϊούσης τῆς ἡλικίας ἀτιμοτέρα ἐν τῷ οἴκῳ ἐνῇ, ἀλλὰ πιστεύῃς, ὅτι πρεσβυτέρα γιγνομένη ὅσῳ ἂν καὶ ἐμοὶ κοινωνὸς καὶ παισὶν οἴκου φύλαξ ἀμείνων γίγνῃ, τοσούτῳ καὶ τιμιωτέρα ἐν τῷ οἴκῳ ἔσῃ.[4])

Sed, ut iam dixi, nusquam amor quasi fundamentum Ischomachi matrimonii dicitur; contrarium potius ipse indicat.

---

[1]) Xen. Cyr. VI. 3. 35—4. 12. et VII. 3. 13—15.

[2]) cf. Donaldson, Women in Ancient Greece and Rome; Plut. Agis 20. Cleom. 37, 38. [3]) Xen. Oec. VII. 11. cf. Mem. II. 2. 4.

[4]) id. Oec. VII. 42.

Postremo hic afferendum est Xenophontis Convivium quo gravibus verbis adfirmatur Niceratum unum e convivis uxorem suam caram habere et mutuo ab ea amari. In fine deinde eiusdem libelli Xenophon narrat tibicinam et adulescentem quos ὁ Συρακόσιος adduxerat Bacchi et Ariadnes amorem per mimum repraesentasse; cum autem ei qui aderant spectaculo adeo delectarentur ut vero amore puerum puellamque teneri sibi fingerent, οἱ μὲν ἄγαμοι γαμεῖν ἐπώμνυσαν, οἱ δὲ γεγαμηκότες ἀναβάντες ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀπήλαυνον πρὸς τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας ὅπως τούτων τύχοιεν.[1]) Hic certe iuvenes nobis cernere videmur, non liberorum procreandorum causa neque ut domus custodem habeant uxores sibi optantes, sed unice ut amoris desiderium expleant quo ardeant.

Longe alia atque diversa ab oratoribus docemur; apud quos vix aliam ob causam matrimonia iniri videmus, quam ut vitae humanae utilitati atque commodis prospiciatur. Ac primum quidem hic adferre libet ea quae Isocrates narrat de Nicocle Samiorum rege: eum contendisse omnes homines, cum liberos suos atque uxores inter summa bona haberent, maxime iis irasci solitos esse qui illos iniuria vel contumelia afficerent. Hinc magnas calamitates iam saepe ortas esse; quam ob rem ipsum Nicoclem ex quo tempore rex factus esset sua uxore contentum fuisse, ab aliarum vero feminarum consuetudine omnino se abstinuisse.[2]) Igitur non id egerat Nicocles ut fidem coniugalem servaret, sed ut aliis viris — mulierum maritis et patribus filiarum — offensioni non esset. Insigne profecto exemplum honestatis virilis! Non enim turpe aestimatur uxorem suam fallere, sed

---

[1]) id. Conv. IX. 7. [2]) Isocr. III. 36.

aut alterum virum laedere per adulterium aut filia corrupta patrem dolore afficere.

Monet autem locus ut exponam quid de adulterio iudicaverint Athenienses. Dignum enim est quod observemus hac quoque in re eos id unum spectasse videri ut caveretur ne viri, sive mariti, sive patres, sive fratres iniuria afficerentur: adulterium enim committere dicebantur et ei qui consuetudinem habebant cum uxore vel concubina alterius civis Attici, et ei qui cum virgine libera vel muliere vidua rem habere solebant.[1]) Adulterio violabatur alterius viri coniugium, non decipiebatur ipsius adulteri uxor.

Ante omnia tamen adulterio non laedebatur sanctum illud matrimonii vinculum, sed totius familiae honor atque decus. Hinc matronae apud Athenienses tanta diligentia custodiebantur: peccato earum sanguine alieno familia dehonestari poterat; per viri contra culpam nihil eiusmodi efficiebatur. Eodem pertinet quod marito eum quem in adulterio deprehenderat sua manu interficere licebat; quin etiam ne homicidii accusaretur lege cautum erat. Quam legem, a Demosthene[2]) etiam citatam, re vera aetate classica valuisse nos docet prima Lysiae oratio, ubi narratur Euphiletum coram testibus adulterum interfecisse. Ipsam autem illam mortis poenam adulter pretio redimere poterat; unde apparet adulterium quasi pro dominii spoliatione habitum esse.[3]) Adulter depre-

[1]) Lipsius. Das Attische Recht p. 429. [2]) Dem. XXIII. 53.

[3]) Quod si cui aut mirum videtur aut indignationem movet, conferre velim id quod paucis ante mensibus in Britannia accidisse ex actis diurnis cognovi (Nieuwe Courant 2 Febr. 1920, Avondblad et 21 Febr. Ochtendblad): actum esse apud iudicem utrum uxor esset inter mariti bona necne; iudicem rem adfirmavisse atque mariti decepti in gratiam litem aestimasse pro uxoris pretio, nempe viginti quinque librarum Britannicarum.

hensus nisi statim morte poenas solverat in carcerem coniciebatur dum vadimonium dedisset. Alia lege sanctum erat ut δίκην μοιχείας subiret adulter non in ipso flagitio deprehensus. [1])

Aliquanto tamen honestius iudicatur de matrimonio violato apud Xenophontem; qui in Cyropaedia Cyrum dicentem facit viros non ideo uxorum suarum adulteros inter inimicissimos habere, quod eas ἀφρονεστέρας reddant sed quia maritis legitimum earum amorem adimant.[2])

Quod autem exempli gratia apud Lysiam in prima quam modo citavi oratione nobis certe offensioni est, ne verbum quidem fieri de culpa quam mulier adultera in se commiserit, id quoque suum sibi habet contrarium: raro tantum uxoris sortem misericordiam movere videmus, quam prae paelice sprevit maritus.

Inveniuntur tamen in tragoedia — et denuo imprimis apud Euripidem — nonnulli loci, ubi adulterium mulieris gravibus verbis improbatur. Sic in Troadibus (vs. 132) Hecabe Helenam στυγνὰν ἄλοχον nominat; quin etiam, Phaedra frustra conata amorem Hippolyti retinere chorum mulierum alloquens se ipsam μίσημα πᾶσιν dicit addens:

ὡς ὄλοιτο παγκάλως
ἥτις πρὸς ἄνδρας ἤρξατ' αἰσχύνειν λέχη
πρώτη θυραίους. ἐκ δὲ γεννικῶν δόμων
τόδ' ἦρξε θηλείαισι γίγνεσθαι κακόν.[3])

Denique huc faciunt ea verba, quibus Tyndareus, pater Clytaemestrae et Helenae filias suas reprehendit:

ἐγὼ δὲ μισῶ μὲν γυναῖκας ἀνοσίους,
πρώτην δὲ θυγατέρ', ἥ πόσιν κατέκτανεν·

[1]) Lipsius l.c. p. 431. Dem. LIX. 65. [2]) Xen. Cyr. III. 1 39.
[3]) Eur. Hipp. 407. sqq.

Ἑλένην τε τὴν σὴν ἄλοχον οὔποτ' αἰνέσω
οὐδ' ἂν προσείποιμ'· οὐδὲ σὲ ζηλῶ, κακῆς
γυναικὸς ἐλθόνθ' εἵνεκ' εἰς Τροίας πέδον.[1])

Nec prorsus desunt loci ubi mulieribus quoque sua esse iura conceditur. Sic in Agamemnone indicatur animus offensus mulieris, quam fide coniugii violata laesit maritus.[2]) Apud Euripidem etiam aequo inter se iure esse maritum et uxorem praedicatur. In Andromache enim Menelaus, cuius filia Hermione a Neoptolemo marito propter Andromachen neglegitur Peleum, Neoptolemi avum, rogat an ipse aequo animo laturus fuisset, si filiae suae homini Graeco in matrimonium datae, coniunx fidus non mansisset:

καὶ μὴν ἴσον γ' ἀνήρ τε καὶ γυνὴ σθένει
ἀδικουμένη πρὸς ἀνδρός· ὡς δ' αὕτως ἀνὴρ
γυναῖκα μωραίνουσαν ἐν δόμοις ἔχων.
καὶ τῷ μὲν ἔστιν ἐν χεροῖν μέγα σθένος,
τῇ δ' ἐν γονεῦσι καὶ Φίλοις τὰ πράγματα.[3])

Eodem modo Medeae factum, quo liberorum suorum morte perfidiam Iasonis ultura est his verbis probat chorus:

δρᾶσον τάδ'· ἐνδίκως γὰρ ἐκτίσει πόσιν.[4])

Quin etiam ipse Iason quodammodo uxoris suae quam deceperat causam agit ubi dicit:

---

[1]) id. Or. 518. sqq.

[2]) Aesch Ag. 1439 sqq.

κεῖται γυναικὸς τῇδε λυμαντήριος,
Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ·
ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τερασκόπος,
ἡ κοινόλεκτρος τοῦδε θεσπατηλόγος,
πιστὴ ξύνευνος, ναυτίλων δὲ σελμάτων
ἰσοτριβής. ἄτιμα δ' οὐκ ἐπραξάτην.

[3]) Eur. Andr. 672. sqq. [4]) id. Med. 267.

εἰκὸς γὰρ ὀργὰς θῆλυ ποιεῖσθαι γένος
γάμους παρεμπολῶντος ἀλλοίους, πόσει.[1])

Apud Demosthenem quoque Apollodoro, qui Phormionem in ius vocaverat, vitio datur quod meretricum consuetudine utitur.[2])

Nicocles denique, quem satis miram ob causam adulterium improbantem supra attuli, tamen et ipse mulierum nuptarum iura non omnino ignorasse videtur: viri enim, qui libidinem coercere nequeunt, eo auctore πρὸς τὰς γυναῖκας ἐξαμαρτάνουσιν· ἃς ἔδει τοσούτῳ μᾶλλον διαφυλάττειν, ὅσῳπερ οἰκειότεραι καὶ μείζους οὖσαι τῶν ἄλλων τυγχάνουσιν.[3])

Iam in superiore capite exposui in matrimonio ineundo viros minime amorissive πανδήμου sive οὐρανίου illecebris duci solitos fuisse, sed nonnisi rationes spectasse ad privata sua commoda pertinentes, mulierem autem insciam collocari sive a patre sive a fratribus sive per testamentum a suo marito. Iam inquirendum mihi est in peculiares rationes quibus plerumque viros in coniuge eligenda motos esse constat.

Non raro igitur factum esse videtur ut viri virginem in matrimonium peterent propter amicitiam qua iuncti erant cum parentibus eius. Sic Menecles senex postquam uxori mortuae iusta fecit ab eo cui orationem composuit Isaeus atque a fratre eius sororem minimam natu petivit ὑπομνήσκων τήν τε φιλίαν τὴν τοῦ πατρὸς καὶ ἑαυτοῦ καὶ ὡς πρὸς ἡμᾶς ἦν διακείμενος.[4]) Illi autem cum scirent patrem suum eam nemini libentius daturum fuisse, sororem Menecli tradere non dubitaverunt. Similiter apud Isocratem in oratione Aeginetica Thrasyllo ami-

[1]) ibid. 909—10. [2]) Dem. XXXVI. 45. τὴν μὲν λέλυσαι, τὴν δ'ἐκδέδωκας ἑταίραν, καὶ ταῦτα γυναῖκα ἔχων ποιεῖς.

[3]) Isocr. III. 40. [4]) Is. II. 4.

citia cum fratre uxoris tanta fuisse narratur ut ea mortua statim illius consobrinam duceret, οὐ βουλόμενος διαλύσασθαι τὴν πρὸς ἡμᾶς οἰκειότητα. [1]) Alibi matrimonium idcirco se commendasse dicitur quod sive sponsus sive nova nupta praestaret honestate dignitate virtute civili. Sic apud Lysiam is qui causam agit ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων narrat quomodo pater eius et Nicodemus quidam affinitate coniuncti sint: Cononem cum Atheniensium classi circa Peloponnesi oram praeesset a patre quo iam diu amico uteretur petivisse ut filiam suam in matrimonium daret αἰτοῦντι τῷ υἱεῖ τῷ Νικοδήμου. Patrem adnuisse quoniam videret Cononem Nicodemo eiusque propinquis fidem habere atque eos honesto loco natos esse et apud cives multum gratia valere. Minime autem illud matrimonium rei familiaris augendae causa initum esse, id apparere ex ipsius patris moribus; quem quamquam opulentam uxorem ducere potuisset, cum Xenophontis cuiusdam filia matrimonium inisse, ὃς οὐ μόνον ἰδίᾳ χρηστὸς ἐδόκει εἶναι sed etiam praetura dignus aestimatus esset. Praeterea patrem filias suas non hominibus divitibus dedisse, θελόντων τινῶν λαβεῖν ἀπροίκους sed alteram Philomelo viro probitate magis insigni quam divitiis, alteram consobrino qui nulla sua culpa pauper factus esset. [2])

Contra saepius pecuniam multum potuisse atque divitiis non minus quam patris dignitate virgines nubiles iuvenum animos oculosque in se convertisse et per se ipsum facile intellegitur et apparet ex Isocrati oratione de Bigis in qua is qui loquitur narrat patrem suum, cum matrem duceret, vere hereditatem sine sacris ut aiunt accepisse: ὁ γὰρ πατὴρ αὐτῆς Ἱππόνικος, πλούτῳ μὲν πρῶτος ὢν τῶν Ἑλλήνων, γένει δ'οὐδενὸς ὕστερος τῶν πολιτῶν, τιμώμενος δὲ

[1]) Isocr. XIX. 8. [2]) Lys. XIX. 12—17.

καὶ θαυμαζόμενος μάλιστα τῶν ἐφ' αὑτοῦ, μετὰ προικὸς δὲ πλείστης καὶ δόξης μεγίστης ἐκδιδοὺς τὴν θυγατέρα, καὶ τοῦ γάμου τυχεῖν εὐχομένων μὲν ἁπάντων, ἀξιούντων δὲ τῶν πρώτων, τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν ἐξ ἁπάντων ἐκλεξάμενος κηδεστὴν ἐπεθύμησε ποιήσασθαι.[1]) Eadem ratione Thrasyllus, quem modo nominavi, priorem uxorem duxerat πλούτῳ μὲν αὐτὸς πρῶτος ὢν τῶν πολιτῶν, γένει δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἀξιώμασιν εἰδὼς τὴν ἡμετέραν οἰκίαν προέχουσαν.[2])

Interdum matrimonium exoptandum esse videbatur quo firmiore vinculo duae familiae inter se coniungerentur. Tunc pactione facta inter parentes res decernebatur, neque ulla uxoris eligendae potestas viro relinquebatur.[3]) Affinitas autem quae esset inter utramque familiam ut corroboraretur haud raro matrimonia iniban tur. Exemplum dabo ex Demosthene apud quem Neaerae accusator exponit se filiam duxisse sororis suae, quae Apollodoro nupta esset ὄντος χρηστοῦ τοῦ Ἀπολλοδώρου περί τε τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν καὶ ἡμᾶς ἅπαντας, καὶ ἡγουμένου τῇ ἀληθείᾳ οἰκείους ὄντας καὶ κοινωνεῖν πάντων τῶν ὄντων.[4]) Hac igitur ratione ductus avunculus consobrinam suam domum duxit.

Videmus autem iterumque videmus rarissime iuvenes Athenienses amore adductos esse ut virginem in matrimonium peterent. Neque enim, ut eo redeam, e verbis quibus Euphiletus apud Lysiam loquitur de matrimonii sui initio apparet amorem eum ut illam duceret adhortatum esse, neque alia res est apud Isaeum in oratione de Philoctemonis hereditate; quasi comoediam hic agi videmus cuius hoc est argumentum: Euctemoni seni meretrix quaedam cuius consuetudine utebatur persuaserat

1) Isocr. XVI. 31.
2) id. XIX. 7.
3) id. XVII. 11.
4) Dem. LIX. 2.

ut filiolum suum, cuius alius erat pater ipse adoptaret; quod tamen ne fieret impediverant et Euctemonis filius et φράτερες eius. Qua re iratus Euctemon quo filii iram moveret sororem Democratis cuiusdam sibi despondit ὡς ἐκ ταύτης παῖδας ἀποφανῶν καὶ εἰσποιήσων εἰς τὸν οἶκον, nisi filius concederet ut meretricis ille filiolus genti suae adscriberetur. Tandem propinqui quos pudebat ineptiarum Euctemonis, ut controversiae componerentur effecerunt, ita ut senis voluntati obsequeretur filius.[1])

Notatu autem perdignum est haec omnia fieri cum Callippe, quae cum Euctemone iusto matrimonio iuncta erat, etiam viveret; nam senis mortui ne exsequiis quidem interesse potuerunt αἱ θυγατέρες αὐτοῦ καὶ ἡ γυνή (§ 40). Duas igitur eodem tempore habere uxores voluerat Euctemon; id quod legibus Atheniensium neque licuisse optimo iure demonstrasse censeo virum doctissimum Hruza[2]) neque vetitum fuisse. Neque enim Lipsius aliique viri docti mihi quidem persuaserunt; qui cum negarent duas uxores singulis viris concessas fuisse, suspicati sunt Euctemonem ad breve tempus uxorem deseruisse atque ei liberisque suis domum suam custodiendam reliquisse — id quod Atheniensium mores prohibebant — huius autem rei apud Isaeum mentionem factam non esse ne causae noceretur.[3])

Sed redeamus eo unde digressi sumus, nisi quod hoc unum etiam observare hinc fortasse non alienum est: satis superque patere quam exiguo iure et in reliqua vita et in matrimonio fuerint mulieres Atheniensium;

---

[1]) Is. VI. 18—25. [2]) Hruza. Beiträge zur Geschichte des Griechischen und Römischen Familienrechtes II. p. 44. [3]) Lipsius l. c. p. 478; Luzac. de digamia Socratis. p. 59 sqq.

irritum est quidquid aliquis fecit mulieri morem gerens; sui quisque patrimonii est dominus, testamentumque ad suum arbitrium componere cuique licet, praeterquam ei qui id facit γήρως ἕνεκεν ἢ νόσου ἢ μανιῶν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος ἢ ὑπὸ δεσμοῦ, ἢ ὑπὸ ἀνάγκης καταληφθείς.[1])

Quantam in matrimonio ineundo dotis rationem habuerint Athenienses, oratores praesertim demonstrant: nusquam fere agitur de virginibus collocandis quin dotem datam esse addatur, etiam si res in controversiam vocari non potest. Rarissime profecto factum est ut virgo indotata nuberet; cuius rei unum exemplum afferre possum ex Lysia (XIX. 14) desumptum. Vix quicquam magis quam dos efficit ut matrimonium contineatur; ipsa dos obstare potest quominus divortium faciant coniuges.[2]) Patres fratresque, etiamsi ipsi divites non sunt, sibi decori esse putant filias et sorores dote instituere.[3])

De dotis magnitudine pauca tantum tradita sunt. Sic apud Andocidem narratur Alcibiadem Calliae sororem duxisse cum dote decem talentum; quae ingens erat illis temporibus pecunia. Callia autem mortuo altera decem talenta exegit, quae Callias se daturum promisisse dicebat, ubi soror filium peperisset.[4]) Apud Isaeum uno loco (V. 26—27) de dote quinque minarum agitur, altero (VIII. 8) viginti minae cum vestimentis ornamentisque dotem efficiunt. Omnino dotem uxoris convenire decebat cum amplitudine patrimonii mariti:[5]) hic quoque qui magnam iam possidet rem familiarem, semper eam augere cupit. Quodsi pater aut fratres dotem praebere non poterant, non raro propinqui vel etiam alii

[1]) Hyp. V. 17. [2]) Is. III. 28—30, 35—37. [3]) Is. X. 25. Lys. XVI. 10.
[4]) And. IV. 13—15. [5]) Is. XI. 40.

cives opem ferebant [1]); quin etiam lex erat ut virgini inopi ex aerario publico dos penderetur. [2])

Omnia autem quae ad dotem pertinent amplissime tractavit Beauchet in opere quod iam supra citavi „Le Droit privé de la République Athénienne" (p. 259 sqq.): exponit ille quinam dotem praebere debuerint, quando dos dari solita fuerit et quomodo constitui, quid dotis nomine esset dandum; quae fuerit dotis condicio post matrimonium contractum, quando et cur dos ut redderetur necessarium fuerit. Cuius disputatione perlecta intellegimus quam multa hic etiam nunc sint incertissima; sed diutius in hoc argumento versari meum non esse arbitror. Id vero unum iam manifestissime apparere mihi videtur causas a terrestri humilitate aliquanto remotiores perparvi momenti fuisse apud Graecos, ubi uxor erat capienda. Quod qui et ipse concedit Schmidtius, putat tamen etiam ipsarum virginum ipsorumque adulescentium mutua studia saepius amorem excitasse: nam publica certamina atque solemnes choros facillime „notitiam primosque gradus" fecisse; quae Plato in Legibus tamquam e media vita sumpta nobis ante oculos ponit; [3]) de Lacedaemoniorum hac in re moribus agit Plutarchus in vita Lycurgi. [4]) Ex iis autem quae de virgines collocandi ratione disserui, id profecto efficere posse mihi videor rarissime ad suum ipsarum arbitrium virum eligere virginibus licuisse; ut verum sit, quod observat Schmidtius, Haemones Antigonasque inter Sophoclis cives haud dubie non defuisse, rarissima tamen talia mutuae cari-

---

[1]) Is. I. 39. Dem. XVIII. 268. XXVII. 69. [2]) id. LIX. 13. *Νῦν μὲν γὰρ, κἂν ἀπορηθῇ τις ἱκανὴν προῖκ' αὐτῇ ὁ νομος συμβάλλεται, ἂν καὶ ὀπωστιοῦν μετρίαν ἡ φύσις ὄψιν ἀποδῷ.*

[3]) Plato. Legg. VI. 771. E. [4]) Plut. Lyc. 14.

tatis exempla fuisse suspicor. Quod multo facilius est ad intellegendum ubi consideraveris id quod in primo libelli capite demonstravi, morem fuisse ut satis magno annorum spatio mariti ab uxoribus distarent; virgo nuptura vix erat adulta, neque puellarem innocentiam amiserat, sponso contra amoris illecebrae, gaudia, pericula tantumnon semper notissima erant.

Sequitur ut inquiramus an iam saeculis quinto quartoque factum sit, ut viri per totam vitam caelibes manerent atque mulieres innuptae. Quod ad ultimum attinet, contendit Zimmernius rarissime accidisse ut mulieres non nuberent; patribus enim liberum arbitrium fuisse decernendi utrum infantes recens nati in vita manerent necne; quo iure eos usos esse, cum in infantes debiles et deformes, tum in puellas, praesertim propter dotis postea parandae difficultatem. Civitates Graecas non nisi validos robustosque cives aluisse; solos defensores patriae aliquo numero fuisse. Vere enim dixisse Thucydidem ἄνδρες γὰρ πόλις, καὶ οὐ τείχη οὐδὲ νῆες ἀνδρῶν κεναί [1]), mulieres autem ad patriam defendendam vix quicquam valuisse; coquendi artem eas calluisse, nihil aliud. Duritiam animi apud Graecos magno fuisse honore; molliori sensui quem efficiat perpetua inter homines robustos debilesque consuetudo locum non fuisse; neque mirandum esse quod pueri vitae incommodis perferendis multo aptiores fuerint quam puellae. Hinc factum esse ut in civitatibus Graecis semper plures numero essent viri quam feminae; non nisi inter bella et post pacem compositam aliquando contrariam rationem obtinuisse. Sic puellas semper certa matrimonii spe educatas esse et maiorem earum partem aetate iam tenerrima vel nupsisse vel certe viris de-

[1]) Thuc. VII. 77. 7.

sponsas esse. Perpaucas igitur civium Graecorum filias innuptas mansisse. Antigonae autem Electraeque exempla nos docere quam tristem et solitariam innuptae mulieris vitam censuerit Sophocles, civis vere Atheniensis.[1])

Haec est Zimmernii disputatio; quam nonnullis e scriptoribus locis corroborare mihi liceat. Imprimis enim apud poetas satis frequenter et ipsae mulieres innuptae orbaeque miseram suam condicionem queruntur et alii eas miserantur. Sic apud Euripidem postquam Clytaemestra interfecta est Electra metuit, ne nullus umquam vir se uxorem ducturus sit:

ἰὼ ἰώ μοι. ποῖ δ'ἐγώ; τίν' εἰςχορόν,
τίνα γάμον εἶμι; τίς πόσις με δέξεται
νυμφικὰς εἰς εὐνάς;[2])

nec minore metu Macaera vexatur post Heraclis patris sui mortem.[3]) Eodem redit quod Orestes in fabula, quae eius nomine indicatur, apud Menelaum de Electrae sororis sorte lamentatur his verbis:

ψυχὴν δ'ἐμὴν δὸς τῷ ταλαιπώρῳ πατρὶ
κἀμῆς ἀδελφῆς, παρθένου μακρὸν χρόνον.[4])

Similes autem querelas etiam apud Sophoclem inveniri haud mirum; in Electra, ut hoc utar, Orestes exclamat, sororis misericordia motus:

φεῦ τῆς ἀνύμφου δυσμόρου τε σῆς τροφῆς[5])

et Oedipus ultima miseria afflictus filiarum suarum miserrimam sortem non praeterit exclamans:

τοιαῦτ' ὀνειδιεῖσθε· κἆτα τίς γαμεῖ;
οὐκ ἔστιν οὐδείς, ὦ τέκν', ἀλλὰ δηλαδὴ
χέρσους φθαρῆναι κἀγάμους ὑμᾶς χρεών.[6])

---

[1]) Zimmern. l. c. p. 331. [2]) Eur. El. 1197 sqq. [3]) id. Heraclid. 523—24. [4]) id. Or. 663—64. [5]) Soph. El. 1183. [6]) id. Oed. Tyr. 1500 sqq. cf. id. El. 164 et 962; Eur. Hel. 283; id. Or. 72. et 206.

Sed praeterquam apud poetas paucissimas huiusmodi querelas in literis Graecis inveniri nemo mirabitur qui reputaverit id literarum genus, quo commenticiis fabulis imprimis mulierum mores vitaque muliebris describuntur, Graecis aetate classica omnino fuisse ignotum. Tamen exigua quaedam adferre possum. Sic ex Hyperidis verbis ὅς μ' αἰτιᾷ, ὅτι πόλλας μὲν γυναῖκας ποιῶ ἀγάμους ἔνδον καταγηράσκειν[1]) sequitur mulieribus tristissimum visum esse sine spe coniugii vitam degere. Nec minus triste sonat id quod legimus in hoc titulo sepulcrali:

Σῆμα Φρασικλείας κούρη κεκλήσομαι αἰεί
ἀντὶ γάμου παρὰ θεῶν τοῦτο λαχοῦσ' ὄνομα.[2])

Sed ut iam dixi perquam rarae sunt eiusmodi querimoniae; quin etiam oratores Atticos cum perlegis facile tibi persuaseris vix umquam factum esse ut virgines nuptias non celebrarent: identidem videmus atque audimus patres fratresque eo studio ardentes ut filias et sorores collocent. Saepius etiam narratur viduas novum iniisse matrimonium; tum praesertim id facillimum fuisse cum vidua magna dote praedita esset et per se intellegitur et apparet e Demosthenis oratione tricesima, ubi verisimile esse negatur mulierem quae antea e prioris mariti domo statim alteri viro nupsisset, divortio facto diu viduam manere voluisse, ἐξὸν ἄλλῳ συνοικεῖν, τοῦ τ' ἀδελφοῦ κεκτημένου τοσαύτην οὐσίαν, αὐτή τε ταύτην ἔχουσα τὴν ἡλικίαν.[3])

Proximum est ut inquiram utrum virginitatem perpetuam magni fecerint necne. Qua in re cultus Minervae et Dianae dearum virginum satis aperta indicia praebere possunt; praesertim autem fabula de Actaeone in cervum mutato hic commoranda est: Dianam cum veste

[1]) Hyp. II. 12. [2]) I. G. I. 409. [3]) Dem. XXX. 33.

abiecta venator ignotus se speculatus esset pellem cervi ei in caput iniecisse; deinde canes eum pro vero cervo habitum laceravisse.[1])

Alibi tamen frustra argumenta quaesiveris quae probent virginitatem apud Graecos umquam magno honore fuisse; immo fontes qui nobis sunt praesto alia omnia docere videntur.[2])

Neque multa de caelibatu virili nobis nota sunt; ex iis quae apud scriptores tradita sunt raro effici posse videtur Graecos id magni momenti habuisse, utrum vir

---

[1]) Paus. IX. 2. 3. τοῖς δὲ ἐκ Μεγάρων ἰοῦσι πηγή τέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ καὶ προελθοῦσιν ὀλίγον πέτρα· καλοῦσι δὲ τὴν μὲν Ἀκταίωνος, καὶ ἐπὶ ταύτῃι καθεύδειν φασὶ τῇι πέτραι τὸν Ἀκταίωνα ὁπότε κάμοι θηρεύων· ἐς δὲ τὴν πηγὴν ἐνιδεῖν λέγουσιν αὐτὸν λουομένης Ἀρτέμιδος ἐν τῇι πηγῇι. Στησίχορος δὲ ὁ Ἰμεραῖος ἔγραψεν ἐλάφου περιβαλεῖν δέρμα Ἀκταίωνι τὴν θεὸν παρασκευάζουσάν οἱ τὸν ἐκ τῶν κυνῶν θάνατον, ἵνα δὴ μὴ γυναῖκα Σεμέλην λάβοι. V. c. J. Vürtheim in recentissima Stesichori editione (p. 28) ad haec verba adnotat: „Actaion hatte also die Göttin im Bade beobachtet. Nicht darum aber soll sie Rache an dem Jüngling geübt haben. Dasz diesem ein so grausamer Tod bereitet wurde, geschah um einen Nebenbuhler des Zeus, der in Semele verliebt war, aus dem Wege zu schaffen. Und Artemis — hatte sie doch die ihre Scham erregende Beleidigung des Jägers stets im Gedächtnis — war von Zeus als die am meisten dazu Befähigte auserlesen um das Todesurteil zu vollziehen. Wer sich aber in den Worten des Periegeten das δή merkt, versteht erst die wahre Gesinnung der Göttin: Zeus meinte sie täte es um seinem Willen zu gehorchen: im Grunde ihres Herzens übte die Artemis Selbstrache."

[2]) Cf. verba Wilamowitzii in introductione ad Eur. Hipp. p. 28: „die unschuld werden beide geschlechter als etwas göttliches anerkennen; aber die männer mögen sie nur an einer himmlischen jungfrau, wie Athena, leiden; auf erden duldet ihre eitelkeit keine verherrlichung der jungfräulichkeit, sondern sie bekämpfen die Amazonen, und jede Atalante findet schliesslich ihren Melanion.

uxorem haberet, an caelebs esse mallet; fieri autem potest ut plurimi caelibes fuerint inter milites mercenarios, qui saepe ea aetate peregre proficiscebantur, qua viri uxorem ducere solebant. Attamen inter eos, quos Cyri expeditioni interfuisse narrat Xenophon, nominantur quoque qui eo consilio militabant ut liberis quos domi reliquerant opes compararent.

Pauca tantum exempla colligere potui virorum quos uxorem non habuisse aut constat aut verisimile esse videtur. Sic de Nicostrati hereditate Isaeus orationem non composuisset, si uxori ille rem familiarem relinquere potuisset; idem valet de Astyphilo quodam, cuius hereditas ut sibi traderetur frater eius poposcit oratione ab eodem Isaeo facta.[1]) Duobus vero locis (Is. VII. 5 et Dem. XLIV. 10) constat virum caelibem manere maluisse. Iam Solonis aetate coelibatum haud ignotum fuisse apparet e narratione quam servavit Stobaeus: Σόλων συμβουλεύσοντός τινος αὐτῷ κατὰ τῶν μὴ γαμούντων ἐπιτίμιον τάξαι „χαλεπὸν", εἶπε, „ὦ ἄνθρωπε, φορτίον ἡ γυνή".[2]) Plato autem in Legibus poenam constituit ei qui uxorem ducere recusat ἵνα μὴ δοκῇ τὴν μοναυλίαν οἱ κέρδος καὶ ῥαστώνην φέρειν.[3]) Simile aliquid indicare videtur locus apud Dinarchum qui in oratione adversus Demosthenem contendit τοὺς μὲν νόμους προλέγειν τῷ ῥήτορι καὶ τῷ στρατηγῷ, τὴν παρὰ τοῦ δήμου πίστιν ἀξιοῦντι λαμβάνειν, παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι.[3]) Unde sequi videtur viris tantum qui uxorem haberent praetores fieri licuisse et verba facere apud populum; maiorem fortasse fidem populus Atheniensium iis habebat, quibus in Attica domus erat atque possessiones. Idem tamen aliis quoque magistratibus praescriptum fuisse nusquam invenire potui.

[1]) Is. IX. I. [2]) Stob. Flor. 68. 33. [3]) Plato. Legg. 721 B. [3]) Din. I. 71.

Neque Graeci virorum caelibatum umquam probavisse videntur propterea quod continentiam temperantiamque in naturali amoris desiderio admirarentur. Qua in re facere non possum quin adferam egregiam hanc Rohdii observationem: „Das asketische Ideal fehlt auch Griechenland nicht. Aber es bleibt, so mächtig es an einzelnen Stellen eingreift, unter Griechen stets ein Fremdes, unter spiritualistischen Schwärmern eingenistet, der allgemein herrschenden Lebensstimmung gegenüber eine Paradoxie, fast eine Ketzerei. Die öffentliche Religion entbehrt nicht aller Keime einer asketischen Moral; aber ihre Entwicklung aus einer religiösen Gesamtansicht hat die Askese in Griechenland nur unter Minoritäten gefunden, die sich in geschlossenen Konventikeln theologischer oder philosophischer Richtung absonderten." [1])

Fuerunt autem qui contenderent apud Athenienses caelibes per δίκην ἀγαμίου in ius vocari potuisse; id quod pauci ex scriptoribus loci indicare videntur.[2]) Alii contra inter quos nominare mihi liceat Beauchettium[3]) et Lipsium[4]), contrariam ineunt viam statuuntque nihil certi hac de re traditum esse, totamque illam δίκην adverso fronte pugnare cum universo iure Attico; quo singulorum civium libertas ne imminueretur anxie cautum erat. Maioris etiam ponderis est quod nulla usquam apud oratores Atticos caelibi lis infertur neque illata esse traditur.

---

[1]) E. Rohde. Psyche II. p. 102. [2]) Plut. de amor. prol. 2. 493 e. πρῶτον οὐκ ἀναμένει (τὰ ζῷα) νόμους ἀγαμίου καὶ ὀψιγαμίου καθάπερ οἱ Λυκούργου πολῖται καὶ Σόλωνος. cf. Pollux III. 48. VIII. 40; Bekker. Anecd. I. p. 336, ubi δίκαι ἀγεωργίου, λειποταξίου, ἀλογίου et ἀγαμίου uno ordine habentur. [3]) Beauchet l.c. p. 108—109. [4]) Lipsius l. c. II. p. 341.

CAPUT TERTIUM.

DE NUMERO LIBERORUM.

Capite superiore cognovimus viros in matrimonio ineundo de liberis procreandis praecipue cogitasse atque hoc consilium observasse ante omnia.

Quaerendum autem est, utrum etiam *multos* liberos sibi optaverint an satis iis iam fuerit, si unum infantem, potissimum nimirum puerum, genuissent.

Testimonia diserta antequam percenseamus, inquirendum est numquid forte scripta, quae ad rem nostram non proprie attinent, docere possint; veluti fieri potest ut aliquis duos liberos numerum solito minorem aut sex gregem ipsum pronuntiaverit. Atque sane eiusmodi loci nonnulli afferri possunt.

In Lysiae oratione[1]) homo accusatus quod bona Aristophanis, affinis sui, suppresserit, tres liberos sororis suae, post Aristophanis mariti mortem sine re familiari relictae, alendos sibi esse affirmat, idemque paulo inferius[2]) tres eos liberos verbis quae sunt *παιδία πολλά* designat. Rationem habendam esse probe scio rhetorem hoc loco verba facere nec non rei interesse ut numerum liberorum quam maxime augeat, at tamen credibile non est eum tres liberos publice multos dicturum fuisse, si Athenienses liberos habere solerent multos et hac de re tres liberos numerum haud dubie ducerent exiguum.

At vero unum infantem et vel maxime unam filiam habere parum visum esse ex Isaei oratione apparet, ubi is qui causam agit avum suum quondam consobrinam

---

[1]) Lys. XIX. 9. *ἔτι δ'ἡμεῖς ἐστερημένοι μὲν κηδεστῶν, ἐστερημένοι δὲ τῆς προικός, παιδάρια δὲ τρία ἠναγκασμένοι τρέφειν...*

[2]) ibid. 33.

uxorem duxisse enarrat: *ἐκείνη μὲν οὖν συνοικήσασα οὐ πολὺν χρόνον, τεκοῦσα αὐτῷ τὴν ἐμὴν μητέρα μετὰ ἡμέρας τριάκοντα τὸν βίον ἐτελεύτησεν· ὁ δὲ πάππος μιᾶς μόνης οὔσης αὐτῷ θυγατρὸς λαμβάνει πάλιν τὴν Διοκλέους ἀδελφήν, ἐξ ἧς αὐτῷ ἐγιγνέσθην υἱεῖς δύο.*[1])

E tragoediis quoque loci duo afferri possunt, qui virum multos liberos non voluisse comprobare videantur; est alter ex Euripidis Medea, ubi Jason affirmat, se uxorem non repudiare ut plures nanciscatur liberos:

οὐδ' εἰς ἅμιλλαν πολύτεκνον σπουδὴν ἔχων·
ἄλις γὰρ οἱ γεγῶτες οὐδὲ μέμφομαι.[2])

Novimus autem Medeam ei duos tantum natos peperisse.

Alter in Alcestide legitur, ubi Admetus uxori morituraе pollicetur se novum matrimonium contracturum non esse, ne liberis suis novercam inducat; sat magnum sibi esse liberorum numerum (erant autem ei filius et filia) eaque de causa nova uxore sibi opus non esse:

ἄλις δὲ παίδων, τῶνδ' ὄνησιν εὔχομαι
θεοῖς γενέσθαι· σοῦ γὰρ οὐκ ὠνήμεθα.[3])

Quamquam fieri potest ut poeta tragicus istis locis non opiniones hominum tunc viventium reddiderit.

Illum quoque locum qui apud Isocratem in laudatione Euagorae, regis Salaminis, reperitur huc afferre lubet, de quo ille haec refert: *πρὸς δὲ τούτοις, ὃ δοκεῖ σπανιώτατον εἶναι καὶ χαλεπώτατον, εὐπαιδίας τυχεῖν ἅμα καὶ πολυπαιδίας, οὐδὲ τούτου διήμαρτεν.*[4]) Unde non sequitur ut homines multos liberos tunc cupide expetiverint: hoc tantum Isocrates asseverat rarissime accidere ut quis multos simul probosque liberos possideat. Quot autem numero Euagorae liberi fuerint et qualis hoc loco sit vocabuli *πολυπαιδία* vis

[1]) Is. VIII. 7.
[2]) Eur. Medea 557—58.
[3]) id. Alc. 334—35.
[4]) Isocr. IX. 72.

equidem indagare non potui neque scio an numerus ipse memoriae traditus non sit.

Vocabulum πολυπαιδία rarum est admodum. In Thesauro Linguae Graecae s. v. legimus id non occurrere nisi apud scriptores posteriores, Musonium, Cassium Dionem, Gregorium Thaumatourgum, deinde loco Isocrateo supra allato, denique in una ex Phalaridis epistulis quas spurias esse Bentleius demonstravit.

Licetne inde argumentum erure magnum numerum liberorum aetate classica rem raram fuisse? Id quod videlicet ad ordines locupletiores modo pertinere moneo.

Neque ullam de multorum liberorum desiderio mentionem factam neque usquam familiam magnam habere inter beatitudinis condiciones referri videmus. Ut apud Herodotum [1]) Solon Croeso roganti, cur Tellum omnium hominum beatissimum praedicaret, respondit patria florente Tello liberos genitos esse fortes probosque, e quibus omnibus rursus liberos natos vidisset, qui sibi essent superstites. Non quo multi Tello essent liberi, sed quia καλοκἀγαθοί, beatus praedicatur.

Contendere igitur iam licet in monumentis litterariis nullum apparere vestigium, homines liberos multos sibi expetivisse, apud Euripidem contra duos liberos satis, apud Lysiam tres etiam multos dictos esse.

Considerandum iam est, quae testimonia nobis praesto sint directa apertaque.

Johannes Kirchner quaecumque nomina propria sive in monumentis litterariis sive in inscriptionibus inveniuntur in libro, cui titulus est *Prosopographia Attica*, sedulo collegit. Cum plures homines ex eadem

---

[1]) Her. I. 30.

familia noti erant, eius familiae stemma, quatenus fieri potest, constituit. Insuper liberos addidit, qui apud scriptores enumerantur nominibus non adiectis.

Haec igitur stemmata examinavi, ut ita de liberorum numero aliquid cognoscerem.

Legentes tamen admonendi sunt ut animadvertant ne nomina ad aetatem classicam omnia pertinere arbitrentur; tum consentaneum est materiam a Kirchnero congestam plenam integramque non esse, sicut iam statim cum admiratione videmus numerum puellarum perparvum esse, cuius rei haec nimirum causa est quod mulieres in vita publica multo minus eminebant, unde factum est ut saepe earum mentio fieret nulla. Accedit quod nomina puellarum commemorare saepe necessarium non iudicatur.

Loci quibus unus filius nominatur nimirum frequentissimi sunt, quos propterea non enumerabo quod omnino certum non est plures liberos non extitisse. Ita saepe factum videmus ut descendentes e virili sexu per saecula nonnulla significati sint, ut proavus, avus, pater, filius.

Hoc ex se intellegitur locis illis ubi plures liberi indicantur aeque minus constare omnium liberorum mentionem iam esse iniectam. Quae cum ita sint, istam rationem (statistiek) plenam integramque non esse patet, unde hoc tantum nos discere mox videbimus, fieri non posse ut familias multorum liberorum indicemus exceptis nonnullis.

Si vir alterum iniit matrimonium et e duabus uxoribus liberos procreavit, eius rei mentionem feci. Mulier si alteri viro nupsit, liberos prioris et alterius mariti separatim notavi, quandoquidem ad meam quaestionem plus interest scire, quot liberos vir habuerit, ut mox apparebit.

Sequitur iam eventus meae inquisitionis, in quo denotando hisce siglis me usum esse moneo, numeris in

initio positos numeros stemmatorum Prosopographiae Atticae significantibus.

× filius et filia.
\+ duae filiae (aut tres filiae).
(2 + 1) duo filii et una filia.
(1 + 2) unus filius et duae filiae.
(3 + 1) tres filii et una filia.
2 + 2 duo filii et duae filiae.
(1 + 3) unus filius et tres filiae.

Si nihil additum est omnes filii sunt.

	Duo	tres	quattuor	quinque liberi
11	×II	I		
23	II			
121				I
179	×I			
217			(3 + 1) I	
385	I			
442	III	(2 + 1)		
597	II××I			
819		I		
828	×××I	(1 + 2)	(1 + 3)	
	×I++			
859		I		
866	II			
982	×			
1196	II			
1361			I	
1363	I			
1408	II			
1411	×I+			
1669	II×		(2 + 2)	
1677	I+			
1695		(1 + 2) (2 +)		

	Duo	tres	quattuor	quinque liberi
1816			(3 + 1)	
1856	I			
1891		(2 + 1)		
2165	I I			
2215	I			
2232	I I			
2246	I			
2272	I			
2317	I			
2419	I			
2501	I			
2681		I (2 + 1)		
2921	XXXIIII	(2 + 1)		I (4+1) (1+4)
2934	I I			
3103	I			
3126	+	I I	(2 + 2) e duabus uxoribus	
3159	X	(1 + 2)		
3229	I		(3 + 1)	
3276	I	I		
3372	I			
3588	I I			
3597	IXXI+	I (2 + 1)		
3674		I		
3678	X			
3682	I I			
3713	I			
3748	I I			
3773	XXI (vel X) Is. V. 10. 11.			(1 + 4) (3 + 2)
4023	I			
4213	I	I		
4237	I	I		
4323	I			

	Duo	tres	quattuor	quinque liberi
4351	I			
4386	I I I	I		
4410	I			
4632	I			
4638	I			
4702	X I		(3 + 1)	
4812	I	I		
5003	X I I			
5020	I I		(2 + 2)	
5139	I X			
5217		(2 + 1)		
5233	X I			
5547	X I			
5604	i			
5636	I			
5638	I	I	(3 + 1)	
5798	I			(3 + 2)
5885		I		
5935		I (1 + 2)		
5940		I		
5953		I		
5967	I I X			
6119	X I			
6165	I I I			
6330	I I			
6639	I			
6665	I I			
6669	I			

Themistocles decem liberos habebat, novem (5 + 4) e priore et etiam unam filiam ex altera uxore natam.

6882	I			
7255	I			(4 + 1) I
7264	X			
7268	I			

	Duo	tres	quattuor	quinque liberi
7305	×I			
7543	I I			
7716	+I (e duabus uxoribus)	(2 + 1)	I	
7737	I I			
7833	I×	+[1])		
7866	I I			
7910	I			
8021		I		
8097	I			
8157		I		
8165	I I			
8254				I
8295	I			
8365	I			
8414	×			
8415	I	(2 + 1)		
8443	+×	(2 + 1) e duabus uxoribus		
8445	I			
8669	I I I ×			
8674			(1 + 3)	
8724		(1 + 2)		
8816	I I	I		
8905	I			
8928	I			
9019	I			
9110		I		
9111	××			
9238	I			

[1]) Kirchner perperam contendit Calliam tres sorores habuisse. Apud Herodotum (VI. 122) legimus eum tres filias habuisse.

	Duo	tres	quattuor	quinque liberi
9240		I		
9615	X			
9668	X			
9675	X		(e duabus uxoribus) 3 + 1)	I
9676	I XX I	I	(3+1) (2+2)	
9719	I I			
9737	I			
9864	I			
9894		(2 + 1)		
9902	I			
9966	I			
10100	X	I (1 + 2)		
10212	I	I	(2 + 2) e duabus uxoribus	
10263	I I I	I		
10288	I			
10450	X			
10531	I			
10562		I		
10578	I			
10599	I	(2 + 1)		
10607	I			
10759		(1 + 2)		
10808	I	I		
10815	X	I		
10837	X	I		
10108		I		
10850	I	I		
11013	I I			
11034	I			
11263	I I			
11307	I			
11339	I			
11364	I			

	Duo	tres	quattuor	quinque liberi
11414	I			
11473	I	(2 + 1) I		
11657		(2 + 1)		
11680	I			
11702	I			
11757	I			
11794		(1 + 2)	I (e duabus uxoribus)	
11871	I I X		(3 + 1)	
11868		(2 + 1)		
11992	I I I			
12027	I			
12172	I	(2 + 1)		
12221	X I			
12281	X X			
12413	I		(3 + 1)	
12471	I			
12676	I			
12836	I			
12988	I I			
13038	I I			
13070	I I			
13101		I		
13155	I I			
13348	+			
13354	I			
13445	I			
13699	I			
13824	I			
13912	I			
13921	I			
14017		(2 + 1)		
14238	I			
14625	I I			

	Duo	tres	quattuor.	quinque liberi
14708		I		
14782	I			
14825	I ×	(2 + 1)		
14840	I I			
14926	I			
14963	I			
10249*a*	I I I	I		
13273*a*	I	I		

E stemmatis igitur *prosopographiae Atticae* cognosci possunt:

250 familiae (gezinnen) duorum liberorum quae ita distingui possunt:

192 familiae duorum filiorum
49 familiae filii et filiae
9 familiae duarum filiarum.
64 familiae trium liberorum, sc.:
38 trium filiorum.
18 duorum filiorum et unius filiae[1])
8 unius filii et duarum filiarum
1 trium filiarum.
21 familiae quattuor liberorum, sc.:
5 quattuor filiorum[2])
9 trium filiorum et unius filiae
5 duorum filiorum et duarum filiarum[3])
2 unius filii et trium filiarum.

[1]) Semel vir eos apud duas uxores procreavit.
[2]) Bis ei filii e duabus uxoribus nati sunt.
[3]) Bis pater eos e duabus uxoribus genuit.

11 familiae quinque liberorum, sc.:
5 quinque filiorum
2 quattuor filiorum et unius filiae
2 trium filiorum et duarum filiarum
1 unius filii et quattuor filiarum.
1 familia (Themistoclis) decem liberorum.

Praeterea nonnulla testimonia colligere conata sum ex imaginbius in vasis depictis atque ex monumentis sepulcralibus.

Huic rei usa sum:

1. Libro Alfred Brückneri, cui titulus est: Der Friedhof am Eridanos.
2. Thesauro Conzii.
3. Thesauro Svoroni.

Ex hoc testimoniorum genere etiam sedecim familias duorum liberorum, quinque in quibus certe tres liberi fuerunt, tres familias quattuor saltem liberorum cognovimus. Nihil igitur novi hi fontes nos docent.

Quae cum ita sint, statuere iam licet fieri non posse ut familias multorum liberorum frequentes fuisse demonstremus, immo verisimillimum videtur eas raras fuisse.

Viri docti Hermann-Blümner de hac re etiam dicunt: „Die griechischen Ehen waren in der Regel nicht sehr fruchtbar, wozu, abgesehen von der durch die Sitte begünstigten auszerehelichen Befriedigung des Geschlechtstriebes, schon frühe auch die Rücksicht auf die Integrität des Hausvermögens beitragen mochte, die keine zu grosze Anzahl von Teilnehmern und Erben an demselben wünschen liesz"[1]. Qua de causa Hesiodus[2] iam

[1] Hermann-Blümner. Gr. Privataltertümer p. 278.

[2] Hes. opp. e. d. 376—377.
μουνογενὴς δὲ πάις εἴη πατρώϊον οἶκον
φερβέμεν· ὥς γὰρ πλοῦτος ἀέξεται ἐν μεγάροισι.

auctor fuit hominibus ut unum modo infantem procrearent.

Athenis igitur res prorsus aliter se habebat atque Romae, ubi familias multorum liberorum comparuisse ex ipsis nominibus concludere licet. Weise[1]) eiusmodi nomina, quae nil nisi numeri meri sunt, tamquam argumentum attulit quo Romanam indolem siccam ac ieiunam fuisse demonstraret. At mecastor ista nomina etiam arguunt numerum liberorum apud Romanos saepe magnum fuisse. Quidni? An probabile non est nomina quae sunt Septimus, Octavus, Decimus, olim liberis indita esse quibus ordo eorum designaretur?

Rei certissima ratio est in Atheniensium condicionibus domesticis a Romanorum prorsus diversis. Capite primo vidimus Atticae incolas rei rusticae deditos fuisse, singulos vero agricolas parvum tantum agellum possedisse, cum terra eorum non nisi ex parte bona esset ac ferax. Nec non parva iis erat emigrandi opportunitas. Quantum igitur inter se distabant facultates agricolarum Atheniensium atque Romanorum! Supra expositum est istas rerum angustias causam fuisse propter quam filius aetate demum provectiore, cum patrem vires iam deficerent, uxorem ducere posset, quippe cui agellus unde victum quaereret prius non obtingeret. Quo factum est etiam ut agricola multos liberos sustentare non valeret: multis enim victum praebere non poterat. Hac in re Attica cum Gallia hodierna apte conferri potest, nam ibi quoque singuli agricolae parvum tenent agellum atque liberorum numerus parvus est.

Quaeritur iam, utrum numero infantium modus factus

---

[1]) Weise. Charakteristik der Lateinischen Sprache p. 23.

sit consulto ac remediis an causa eorum exiguitatis aliis rebus imputanda sit.

Philosophi Graeci incolas numero semper constare affirmarunt, id quod non censuissent, si familiae numerosae vulgo exstitissent. Zimmern[1]) vero Graecos immodicam civium multitudinem semper frequenti cogitatione tamquam formidinem ingentem praecepisse putat, cuius disputationem, iis verbis omissis, quae hic minoris momenti sunt, exscribere velim:

„It was the same difficulty that stung Malthus, and through Malthus, Darwin and which has thus become familiar, in its theoretical form, to several generations of thinking men. But to these early Greek thinkers it was no mere problem in biology or ethics, but an ever present danger to the very existence of the body politic. . . . . It was more than a difficulty: it was a terror, looming closer every year. With their primitive economy there was little margin to draw on. There was a natural limit to the numbers of a self-contained City State. Patch after patch of bare hillside was drawn into the area of cultivation, terraced and ploughed and picked over that it might yield its wretched pittance. But a time came when the pressure of population upon subsistence became too great to be withstood, and Greek statesmen were forced to seek an outlet for their people elsewhere.

The great outburst of colonisation in the eighth and seventh centuries relieved the pressure. It never recurred again in so acute a form; for the economic development which followed, with the improvement of commu-

---

[1]) l. c. p. 324—326.

nications and the growht of foreign trade, rendered States less wholly dependent upon their agricultural resources and provided permanent activities for some of their landless members.....

Yet the old terror still remained if not in so urgent and menacing a form as in earlier days, still far more real and constant than we can easily conceive under the international system of to-day, when we have grown used to regarding population as a fluid and mobile force".....

Mirum autem est scriptores Graecos ut ipse Zimmern contendit ratos esse numerum incolarum constantem fuisse. Sic enim pergit: „Superficially read. they seem to overlook the difficulty. They prefer to speak as though population tended of itself to remain stationary, as though there were no such thing as the natural increase of mankind. The whole organization of City State society seems based upon the idea, that the numbers of its membership remain fixed..... We can see this most clearly in the arrangements for founding new cities. The statesman's business is to discover how large a population the new territory will support, and then to stock it up to that limit. Every one will know what that limit is; sometimes it is even openly expressed in the name of the new settlement, as in the colony of Ten-Thousand-Town on the coast of Cilicia. We find the same idea in Plato and Aristotle, and it falls in very well with their general conception of the city as a work of art, and with their reluctance to elbow-room for the development of new forces".....

In ista Zimmerni disputatione demiror eum cum primum multitudinem nimiam philosophis Graecis tam-

quam metum continuum ante oculos versatam esse dixerit, postea intulisse, Platonem atque Aristotelem numerum civium constantem esse pronuntiavisse. Quodsi metus ille tantus fuisset, ita, credo, non censuissent!

Inferius paulo Zimmern contendit philosophos Graecos probe novisse sententiam quam dicerent falsam esse, rationes vero quibus assuefacti essent tamquam naturales et necessarias duxisse, quamquam revera quam maxime artificiosae essent.

Zimmerni argumentatio aliquantum conturbata mihi quidem videtur, quoniam primum perhibuit Graecos timore nimiae hominum multitudinis perpetuo vexatos esse, deinde vero complures causas enumeravit e quibus sequeretur ut numerus incolarum semper fere immutabilis permaneret. E causis quas attulit haec prima est

I. ut numerus eorum, qui singulis annis moriebantur, permagnus fuerit.

Hanc tamen causam artificiosam nuncupare Zimmerno non licet.

Ubicumque ars valetudinis tuendae curandaeque parum processit, numerus eorum, qui vertente anno moriuntur, magnus esse solet neque id malum ad Graeciam tantum pertinet, sed per totam antiquitatem ubique grassatum est. Etiamnunc in insula Iava pars dimidia liberorum moritur, sed ex octo quattuor remanent: ergo numerus incolarum assidue duplicatur. Itaque sicubi multi liberi moriuntur, id levis momenti est, dummodo tot nascantur liberi ut iactura abunde compensetur.

Imprimis ex infantibus permulti moriebantur, id quod e loco Aristotelis in Historia Animalium apparet, ubi plerosque liberos prima vitae hebdomade mortuos esse discimus:

τὰ πλεῖστα δ'ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ.[1])

Samter in libro, cui titulus est „Familienfeste der Griechen und Römer"[2]) mentionem facit ἀμφιδρομίων, h. e. lustratio, quae auctore Suida die quinto haberi solebat. Infans recens natus circum focum gerebatur itaque in famili assumebatur.[3]) Nomen ei, secundum Suidam die decimo, secundum Aristotelem septimo aut decimo dabatur[4]). Si ἀμφιδρόμια tum demum accidebant, nomen eodem tempore dabatur.[5])

Apud virum doctum Myres hoc dictum invenimus: „It is believed, that hardly one in three of the children, who are born in Greek lands lives to its first birthday".[6])

Vehementer dolendum est quod Myres fontem unde hanc opinionem hauserit nobis non impertivit.

Altera causa, cur incolae numero non multum creverint, secundum Zimmern haec est:

II. quod multi homines bello semper occiderint. Capite secundo iam observatum est civitates Graecas continuo bella gessisse, semper igitur novis patriae defensoribus opus iis fuisse. Plerumque numerus interfectorum sane magnus non erat, sed nonnumquam aliqua civitas aetatis humanae spatium civibus adultis orbata esse poterat[7]). Neque modo Graecia assidue

---

[1]) Arist. Hist. An. VII. 12.

[2]) Samter p. 59.

[3]) Plato. Theaet. p. 160 E.

[4]) Arist. Hist. An. VII. 67.

[5]) Hesychius, s.v. ἀμφιδρόμια. ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες κύκλῳ καὶ ἐπετίθεσαν αὐτῷ ὄνομα.

[6]) Myres. Greek lands and the Greek people p. 20. nota 1.

[7]) Her. VI. 82—83.

bella gerebat: Italiae gentes item bellis continuis occupati sunt: nonne Iani templum tota historia Romana bis tantum clausum fuit? Ibi vero, utique ante aetatem imperatoriam, familiae multorum liberorum erant!

Causae duae, de quibus adhuc egi, non penes eum sunt qui rem publicam administrat. Deinde vero Zimmern duas alias causas commemorat, in quibus partes eius magnae sunt: dicit enim

III Graecos eo quoque effecisse ne nimia fieret multitudo hominum, quod colonias in terras alienas deducerent; eam autem rationem, etsi haud ita frequens esset atque saeculis octavo et septimo, tamen numquam prorsus esse omissam.

Hanc causam ad liberorum numerum non pertinere manifestum est, quapropter eam missam facere iam licet.

IV. Postremo Zimmern maximi momenti fuisse putat expositionem infantum.

Istam sententiam iam commemoravi in capite superiore, cum breviter attigi quaestionem, utrum Athenis mulieres essent quae innuptae manerent necne. Arguit igitur patrem cui graviter incumberet necessarium dotis comparandae officium, ad facinus nostro iudicio inhumanum coactum esse ut infantem recens natum vel maxime si puella esset, exponeret.

Zimmerni opinio Glotzii commentatione[1]) imprimis nititur, cui quamquam non omnibus numeris astipulor longum est nunc accuratius in hanc rem inquirere.

Forsitan parvus liberorum numerus e serotinis agricolarum matrimoniis apte explicatur. Hodie certe viri, qui seriore demum aetate uxorem ducant, liberos pauciores

---

[1]) Glotz. in Daremberg et Saglio. s. v. Expositio et infanticidium.

gignere solent quam qui maturius matrimonium ineunt. Quantum momenti aetas qua vir matrimonium contrahit ad numerum habeat liberorum e tabula sequenti cognoscere licet, quae est in libro v. d. W. Schallmayer, c.t. „Vererbung und Auslese im Lebenslauf der Völker"[1]):

Aetas qua vir matrimonium init:	Numerus liberorum
minor quam 25 annorum:	3.50
25—29 :	3.25
30—34 :	3.02
34—45 :	2.28
45 et supra :	1.10

Schallmayer hunc exitum inde explicare conatur, quod adulescentes, qui provectiore demum aetate uxorem ducunt, contagioni morborum veneriorum magis obnoxii fuerunt, quae liberorum exiguitatis causa est, atque sane fieri potest ut antiquis temporibus eaedem causae eosdem eventus habuerint.

Alia causa, propter quam numerus incolarum non multum accreverit, sita erat in ratione, qua societas hominum illo tempore viventium comparata erat, quae ratio a nostra toto caelo differt. Nempe nostris temporibus nusquam non matrimonia in operarum ordinibus rarissime sterilia sunt atque familiae numerosae ibi frequentissime inveniuntur. In Graecia vero frequens operariorum ordo ac liber numquam exstitit, ita ut raram agricolarum progeniem ordo operariorum magna sua liberorum copia non compensaret. Atque ipsum servitium, quod nostrarum operarum vice fungebatur, infecundum erat, in quo primum parum mulierum erat, cum viri praecipue opificia exercerent, deinde contubernium

---

[1]) p. 132.

inter servos et ancillas stabile ac firmum non erat: connubium videlicet iis legibus non erat permissum.

Quae omnia si tamquam iustae causa paucitatis liberorum existimandae sunt, nihil est quod suspicemur consulto coërcitum esse infantium numerum.

Haec autem coërcendi ratio ita fieri potest ut

1. quis prohibeat quominus mulier concipiat, remediis scilicet adhibendis quae graviditatem praevertant;

2. ut praegnanti medicamentum datur quo conceptum excutiatur, h. e. abortu provocato.

Quaestio oritur num remedia, de quibus in ratione priore sermo est, saeculis quinto et quarto a. Chr. n. hominibus nota fuerint, cuius rei in monumentis litterariis nullum invenire potui indicium, neque v. d. Bloch [1]) id probabile putat, qui ad locum Hippocrateum [2]) refert, ubi agitur de abortu a meretrice quadam, cui liberi minime accepti essent, maturrime provocato: cui si remedia a me significata innotuissent, conceptionem potius praevertisset.

Quod ad alteram rationem attinet, abortum provocatum illis temporibus notum fuisse e locis Hippocrateis supra allatis apparet, cuius ipsa verba haec sunt: οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. Est autem notabile Platonem [3]) abortum non improbare, Aristotelem vero etiam commendare causas iisdem quibus Malthum permotum. Ita enim fecunditatem nimiam intra aetatis fines terminosque, quam ad liberos procreandos constituerat coercere voluit. [4])

Considerandum iam est, quomodo in iure a legum

[1]) Bloch. Die Prostitution p. 437. [2]) Hippocr. De Musculis 19. Cf. id. De natura pueri 2, ubi de eadem re agitur. [3]) Republ. 461 C. [4]) Pol. 1335 b. 25.

latoribus constituto abortus (ἄμβλωσις) comparatus fuerit, de qua re docte disputavit v. d. Caillemer.[1])

Plerique rerum scriptores poenam huic delicto propositam non fuisse affirmant. Nonnulli vero, quales sunt Hermann-Blümner,[2]) contendunt leges quidam de eo silere, sed apud iudices controversiam fuisse, num poenae, quae homicidio constitutae erant, in feticidium exerceri possent, id quod affirmant freti oratione, quae Lysiae attribuitur, κατ' Ἀντιγένους ἀμβλώσεως[3]), ubi dicit: εἰ τὸ ἔτι ἐγκυούμενον ἄνθρωπός ἐστι καὶ εἰ ἀνεύθυνα τὰ τῶν ἀμβλώσεων ταῖς γυναιξίν.

Caillemero contra persuasum est poenam abortui fuisse propositam, atque argumento utitur quod Galienus[4]) affirmat Lycurgum et Solonem, discipulos deorum, in legibus suis poenas in eos constituisse qui abortum facerent. Sententiam suam confirmari ait verbis Musonii, quae apud Stobaeum leguntur: (οἱ δὲ νομοθέται) τοῦτο μὲν γὰρ ἀμβλίσκειν ἀπεῖπον ταῖς γυναιξὶν καὶ ταῖς ἀπειθούσαις ζημίαν ἐπέθεσαν.[5]) Legislatores qui fuerint non edocemur, Athenienses fuisse mihi quidem verisimile non videtur, quandoquidem haec sequuntur: τοῦτο δὲ πολυπαιδίας ἔταξαν γέρα καὶ ἀνδρὶ καὶ γυναικί, καὶ τὴν ἀπαιδίαν ἐπιζήμιον κατέστησαν.

Cicero tradit Mileti mulierem, quod partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam,[6]) qua de causa Caillemero verisimile non est abortum legibus Atheniensium poena fuisse solutum.

E contraria parte Lipsius[7]) eadem oratione Lysiaca nisus, δίκην ἀμβλώσεως exstitisse nullam pro certo affir-

---

[1]) In Dict. des Antiq. I. 224. [2]) Gr. Privataltertümer § 11.
[3]) Didot. Orat. Att. II. 256 (ed. Kühn). [4]) Galienus XIX. 177.
[5]) Florileg. 75. 15. [6]) Pro Cluent. 11. 32. [7]) Lipsius l. c. II. p. 608.

mat, id quod mihi quoque magis probatur. Nempe δίκη ἀμβλώσεως si esset, opus non fuisset δίκην φόνου adhibere, id quod fecit orator.

Etiam haec opinio cum iis quae apud Aristotelem leguntur magis congruere videtur. Is enim, cuius consilium hoc erat ut leges ad vitam communem aptas componeret, haud dubie abortum non commendavisset si vetarent leges.

CAPUT IV.

DE VIRTUTIBUS MULIEBRIBUS.

Virtutes muliebres, quae quidem apud Graecos magni fiebant, exsecuturae mihi optimum visum est eas in quattuor genera dividere ita ut

I. virtutes percenserem quae in vita publica mulierem ornare putabantur, unde simul manifesta fieret ratio quae mulieribus cum vita forensi intercedere deberet,

II. deinde ut inquirerem in virtutes quae in matronis laude summa dignae existimabantur, unde qualis necessitudo uxorem erga maritum maxime deceret foret perspicuum,

III. porro ut virtutes tractarem quae in virginibus laudabiles viderentur,

IV. denique ut considerarem quae virtutes in universum mulieribus laudi ac decori haberi solerent.

Antequam de his generibus deinceps agere incipiam, praemoneo poetas tragicos de virtutibus quae illo tempore mulieri ornamento ducebantur plurima memoriae tradidisse atque Euripidem ante omnes, qui quamquam osor mulierum fuisse a multis perhibetur, e contrario optime de iis meritus est: ille enim muliebre ingenium melius intellegere atque in earum indolem penitus se insinuare omnium primus sedulo studuit. At vero tragici non in rerum hominumque veritate versantur neque ipsa vita cognoscitur e rebus humanis, quas poetae nobis ante oculos ponunt, verum oratores et rerum scriptores sunt qui vitam cotidianam nos doceant, in quorum numero Xenophon praecipue ponendus est, in cuius Oeconomico Ischomachus Socrati enarrat quam egregia

fruatur uxore quoque modo eam ad tantam praestantiam perduxerit.

Illud autem mirum est, ut virtutes quas poetae tragici in mulieribus laudant omnino congruant cum iis, quas apud solutae orationis scriptores summis laudibus efferri videmus. Quod praecipiendum mihi videbatur antequam de virtutibus ipsis disputare pergam.

I. Iamque igitur virtutes muliebres, quas primas posui quasque publicas sive forenses dicere possis, exploremus.

In poetis diligentur evolvendis hoc primum identidem nos commovet quod manifestis expressisque verbis praecipiunt ut mulier domi maneat, taceat, σώφρων sit.

Sicut Euripides Macaeram, Herculis filiam, facit profitentem :

γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
κάλλιστον, εἴσω θ' ἥσυχον μένειν δόμων. [1])

In tragoedia c.t. Andromache nutrix Hermionen hortatur ut intro se recipiat neve ante domum se ostendat, verita ne de ea homines sequius loquantur :

ἀλλ' εἴσιθ' εἴσω μηδὲ φαντάζου δόμων
πάροιθε τῶνδε, μή τιν' αἰσχύνην λάβῃς
[πρόσθεν μελάθρων τῶνδ' ὁρωμένη, τέκνον.] [2])

In fragmento ex Euripidis tragoedia deperdita Meleagro etiam mulier quae foras procedit nihili esse affirmatur :

ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ' εἶναι χρεὼν
ἐσθλήν, θύρασι δ' ἀξίαν τοῦ μηδενός. [3])

Illud domi manere et tacere semper et ubique uno tenore laudatur. At hercle vero verisimile non est, multum iis fuisse quod cum viris sermocinarentur, quandoquidem a vita publica prorsus segregatae vivebant

[1]) Eur. Heracl. 476—77. [2]) id. Andr. 876 sqq. [3]) id. fr. 521.

atque omnium consiliorum expertes habebantur, de quibus viri haud multum cum iis communicavisse videntur, siquidem Critobulo credere licet qui Socrati roganti Ἔστι δὲ ὅτῳ ἐλάττονα διαλέγει ἢ τῇ γυναικί; respondit: Εἰ δὲ μή, οὐ πολλοῖς γε.[1])

Notissima sunt verba, quibus Aiax uxorem suam obiurgat:

γύναι, γυναιξὶν κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.[2])

Quodsi forte omnino tacere necessarium non ducitur, pauca admodum verba mulieri permissa sunt, ut e fragmento Sophocleo discimus:

ῥῆσις βραχεῖα τοῖς φρονοῦσι σώφρονα
πρὸς τοὺς τέκοντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει
ἄλλως τε καὶ κόρῃ τε καργείᾳ γένος,
αἷς κόσμος ἡ σιγή τε καὶ τὰ παῦρ' ἔπη.[3])

Mulieres cum omni fere virorum consuetudine carerent, mira nimirum erat earum verecundia: quas virum contra intueri non solitas esse ex Euripidis Hecabe novimus:

ἄλλως δ' αἴτιόν τι καὶ νόμος,
γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον.[4])

Omnino quaevis mulier honesta in publicum prodire atque in multorum hominum conspectum venire veretur: αἰδούμεθ' ὄχλον,[5]) verba Antigonae sunt:

Quibuscum sententiis e tragoediis desumptis indicia ab oratoribus et rerum scriptoribus de virtutibus muliebribus prolata consentiunt, ut supra diximus, et primum quidem affero verba ultima ex laudatione funebris, quibus

[1]) Xen. Oec. III. 12.
[2]) Soph. Aias 293.
[3]) Soph. fr. 61.
[4]) Eur. Hec. 974—75.
[5]) Eur. Phoen. 1276 cf. id. Or. 108:
εἰς ὄχλον ἔρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.

Pericles feminis, quae viduae iam factae erant aut filium amiserant, iustum indicavit officium: εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς, ὅσαι νῦν ἐν χηρείᾳ ἔσονται, μνησθῆναι, βραχείᾳ παραινέσει ἅπαν σημανῶ. τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν μεγάλη ἡ δόξα καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.[1])

Argumentum nullum est belli temporibus officia sua mulieribus quoque colenda fuisse atque ipsas quoque usas esse beneficiis, quae respublica Atheniensis suis civibus praestabat. Immo earum erat: quietam esse, nihil agere, quoque minus loci dabant ut viri de se loquerentur, eo melius erat.

Antigonen pudorem in publicum prodeundi significantem supra vidimus. Apud Hyperidem vero, oratorem ipsam vitam cotidianam depingentem, haec leguntur: Δεῖ τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκπορευομένην ἐν τοιαύτῃ καταστάσει εἶναι τῆς ἡλικίας ὥστε τοὺς ἀπαντῶντας πυνθάνεσθαι μὴ τίνος ἐστὶ γυνή, ἀλλὰ τίνος μήτηρ.[2]) Unde apparet mulierem in publicum procedere non prius decuisse quam liberos iam peperisset. In alio Hyperidis fragmento legimus cavendum esse cultum, quo mulieres foras progredientes se exornarent, tamquam alienis viris placendi causa acceptum — eum tantum cultum probari, quem mariti sui gratia induerent: τοὺς μὲν πρὸς τὸν ἄνδρα τὸν ἑαυτῆς γυναικὶ καλλωπισμοὺς ὅπως βούλοιτο χρὴ γίγνεσθαι· τοὺς μέντοι περὶ τὰς ἐξόδους οὐκέτι πρὸς τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἑτέρους (γιγνομένους) φοβητέον.[3])

Lycurgus in oratione adversus Leocratem habita narrat, cum tota civitas post pugnam ad Chaeroneam commissam perturbata esset: ὁρᾶν δ' ἦν ἐπὶ μὲν τῶν θυρῶν γυναῖκας

---

[1]) Thuc. II. 45. [2]) Hyp. fr. 205. [3]) id. fr. 206.

ἐλευθέρας περὶ φόβους κατεπτηχυίας καὶ πυνθανομένας εἰ ζῶσι, τὰς μὲν ὑπὲρ ἀνδρός, τὰς δ' ὑπὲρ πατρός, τὰς δ' ὑπὲρ ἀδελφῶν, ἀναξίως αὐτῶν καὶ τῆς πόλεως ὁρωμένας.[1]) Ergo mulieribus ne tunc quidem, cum de propinquorum salute sciscitari vellent, in publicum prodire dignum putabatur.

Quod autem locus ex Hecabe fabula, supra a me allatus, docet, mulierem solitam non esse virum contra intueri, corrobatur loco, qui est in Lysiae oratione, ubi accusator dicit reum, cum adulescentem de quo certaretur apud se esse comperisset, fores domi suae perstrinxisse atque in mulierum cubiculum, ubi soror et consobrinae suae essent, introisse *εἰ οὕτω κοσμίως βεβιώκασιν ὥστε καὶ ὑπὸ τῶν οἰκείων ὁρώμεναι αἰσχύνεσθαι.*[2])

Quae cum ita sint, concludere iam licet, tam poetas quam scriptores eas mulieres maximi aestimasse, quae domi manerent, pauca loquerentur, modestae essent et coram viris inque hominum frequentia verecundae.

II. De virtutibus nunc videamus, quae in matronis laude summa dignae habebantur, et primum consideremus, quomodo uxorem adversus maritum se gerere decuerit.

In qua re Euripides et Xenophon rursus nobis testes locupletissimi sunt.

In illius Alcestide famula dominam suam mulierum optimam praedicat quod moriendo pro coniuge debitam adhibeat *reverentiam*.

Chorus: *ἴστω νυν εὐκλεής γε κατθανουμένη*
γυνή τ' ἀρίστη τῶν ὑφ' ἡλίῳ μακρῷ.

Famula: *πῶς δ' οὐκ ἀρίστη; τίς δ' ἐναντιώσεται;*
τί χρὴ γενέσθαι τὴν ὑπερβεβλημένην
γυναῖκα; πῶς δ' ἂν μᾶλλον ἐνδείξαιτό τις
πόσιν προτιμῶσ' ἢ θέλουσ' ὑπερθανεῖν;[3])

[1]) Lyc. adv. Leocr. 40. [2]) Lys. III. 6. [3]) Eur. Alc. 150 sqq.

In Troadibus Andromache Hecubae socrui suae, describit matrimonium suum cum Hectore quale sit; nempe rationem beate vivendi invenisse sibi videtur. Quam igitur viam ingressa erat?

Primo domi manebat, quamvis esset laboriosum: sin minus, male audiisset, etiamsi conviciis non lacesseretur. Tum spernebat blanditias mulierum corruptricium atque sua prudentia ac moderatione tamquam duce utebatur et auspice.[1]) Adversus maritum erat *tacita* et *quieta*; denique illud optime sciebat, quantum Hectori *indulgere* — quando sibi constare se oporteret:

γλώσσης τε σιγὴν ὅμμα θ' ἡσυχον πόσει
παρεῖχον· ἤδη δ' ἀμὲ χρῆν νικᾶν πόσιν,
κείνῳ τε νίκην ὧν ἐχρῆν παριέναι.[2])

In tragoedia c. t. Electra etiam praescribitur ut in rebus omnibus uxor marito cedat:

γυναῖκα γὰρ χρὴ πάντα συγχωρεῖν πόσει,
ἥτις Φρενήρης· ἥ δὲ μὴ δοκεῖ τάδε,
οὐδ' εἰς ἀριθμὸν τῶν ἐμῶν ἥκει λόγων.[3])

Neque solum cedere marito debet, sed etiam nihil umquam suscipere eo non ante consulto.

Sic enim Aethra in Supplicibus loquitur:

πάντα γὰρ δι' ἀρσένων
γυναιξὶ πράσσειν εἰκός, αἵτινες σοφαί.[4])

Ceterum mulieri aliis virtutibus praeterea opus est ut uxor bona probaque sit. Clytaemestra, quae satis sibi placere videtur, sua animi bona adversus Agamemnonem celebrat: in voluptatibus se animo temperasse praedicat, rem familiarem bene administrasse ita ut maritus domum rediens gauderet nec non bono animo inde proficisceretur:

[1]) Eur. Troad. 645—53. [2]) ibid. 654—56. [3]) id. El. 1052 sqq. [4]) id. Suppl. 40—41.

περὶ σὲ καὶ δόμους
συμμαρτυρήσεις ὡς ἄμεμπτος ἦ γυνή,
εἴς τ' Ἀφροδίτην σωφρονοῦσα καὶ τὸ σὸν
μέλαθρον αὔξουσ', ὥστε σ' εἰσιόντα τε
χαίρειν βύραζέ τ' ἐξιόντ' εὐδαιμονεῖν.[1])

Neque solum in tragoedia uxor, quae domum bene administrat, laudatur sed idem fit in fonte nostro praecipuo qui est Xenophontis Oeconomicus. Quanti momenti sit bona rei familiaris administratio in colloquio Socratis, cum Critobulo instituto iam supra (p. 86) allato, nobis narratur. Nonnulli viri uxores tamquam adiutrices habent ut opes suas augeant; alii vero imprudentia uxorum corruunt. Vir autem si coniugem bene instituit neque haec eius consiliis utitur uxor in culpa est; sin minus, maritus ipse in noxa tenetur.[2]) A marito uno uxor erudienda est, nam Critobulus ipse dicit se uxorem suam domum duxisse cum pauca admodum cognovisset vidissetque. Hic deinde Socratem rogat num qui uxorem strenuam habeat ipse eam instituerit. Quem Socrates ad Aspasiam refert quae eum haec omnia melius docere potest; suo ipsius iudicio uxorem impigram quae rei familiaris administrandae particeps sit, quod ad virtutem attinet viro omnino parem esse: Νομίζω δὲ γυναῖκα, κοινωνὸν ἀγαθὴν οἴκου οὖσαν, πάνυ ἀντίῤῥοπον εἶναι τῷ ἀνδρὶ ἐπὶ τὸ ἀγαθόν.[3])

Quale autem officium bonae matrisfamiliae sit Ischomachus deinde exponit in colloquio cum Socrate habito de quo iam supra (p. 84 et 85) mentio iniecta est.

III. Ad virtutes quae in virgine laudabantur iam transeamus. In virgine omnibus virtutibus anteponebatur

---

[1]) Eur. Iph. Aul. 1157 sqq. [2]) Xen. Oec. III. 10-11. [3]) ibid. III. 13-15.

castitas. Farnell in libro „Greece and Babylon" commemorat iam temporibus antiquissimis puellam, quae castitatem violasset graviter puniri. Verba eius sunt haec: „One or two Greek myths that may reflect very early thought express the severe reprobation of the father of unchastity in his unmarried daughter; myths telling of cruel sentences of death imposed for the offence. But these suggest no religious feeling; the sentiment may well have arisen from the fact that under the patriarchal system the virgin-daughter was the more marriageable and commanded a higher bride-price." [1])

Wilamowitz in prolegomenis, quae editioni Hippolyti fabulae praefixit, explanare conatur, quomodo virgines Troezenias affectas esse credamus, cum cantum Hippolyti cantarent, iuvenis formosissimi, qui pro pudicitia mortem occubuisset. Euripides enim in fine fabulae affirmat, memoriam Hippolyti et Phaedrae amoris in virginum Troezeniarum cantibus sempiterna fore easque die nuptiali suo comam solemnem illi sacrificare debere. Unde Wilamowitz sequi contendit, ut cantus illi in prioribus nuptiarum caerimoniis cantari solerent. Euripides autem cum alibi quoque in fabula mores Troezenios respexerit, non est dubium quin cantum illum noverit inque tragoediae suae usum converterit.

Iam supra nonnulla e Wilamowitzii verbis citavi, cum de maturo mulierum conubio agerem; nunc vero partem ultimam eius disputationis laudare lubet: „eines aber vor allem: nichts ist ihr bisher mehr eingeschärft, als dass sie einen köstlichen schatz besitzt, der ihr teurer sein muss als das leben, auf dass Hestia und Artemis und Athena gnädigen auges auf sie blicken:

[1]) Farnell. Greece and Babylon. p. 150—51.

diesen schatz soll sie jetzt dahin geben, dem unbekannten manne und herrn, warum? die eltern wollen es, die götter gebieten es, es muss wol gut sein, aber sie versteht es nicht und schaudert in ihrer unschuld. aber sie fügt sich. noch einmal zieht sie hinauf in das heiligtum, das heimische sitte solchem gebrauche bestimmt hat, und bringt der gottheit, deren willen sie sich beugt, das opfer ihrer jungfrauschaft. sie schert den lockenschmuck von ihrem freien haupte und legt ihn unter tränen auf den altar, während die gespielinnen ihr das heilige lied singen, das sie manches mal mitgesungen hat, und nun nie mehr singen darf: das lied vom tode der jugend und reinheit."[1])

Ut etiam Graecos auctores ipsos audiamus locum e Troadibus afferre volo. Andromache ipsa dicit Hectorem se virginem domum duxisse:

ἀκήρατον δέ μ' ἐκ πατρὸς λαβὼν δόμων
πρῶτος τὸ παρθένειον ἐζεύξω λέχος.[2])

Xenophon deinde in Hellenicis tradit virgines quasdam se ipsas necavisse, quod a Lacedaemoniis vim passae essent.

Neque virginem decet de matrimonio suo aliquem percontari; haec omnia patris arbitrio committenda sunt, qui ista curabit. Ita Iphigenia Aulidem arcessita Agamemnonem dicentem ei sicut patri iter faciendum esse rogat:

οὔ που μ' ἐς ἄλλα δώματ' οἰκίζεις, πάτερ;[3])

Ei de matrimonio sciscitanti Agamemnon respondet nihil id eius referre:

ἔστον. οὐ χρὴ τοιάδ' εἰδέναι κόρας.[4])

[1]) Wilamowitz. Hippolytus p. 27.
[2]) Eur. Troad. 675—76.
[3]) id. Iph. Aul. 670.
[4]) ibid. 671.

Sed non solum virgines, verum homines universi verentur de matrimonio palam loqui. Clytaemestra hanc sententiam exprimit, cum adversus Achillem matrimonium ab Agamemnone inter Iphigeniam et Achillem significat, cuius rei hic prorsus inscius est, qua de causa obstupefactus exclamat:

πούους γάμους φής; ἀφασία μ' ἔχει, γύναι.
εἰ μή τι παρανοοῦσα καινουργεῖς λόγον. [1])

Clytaemestra autem, rata pudorem eum continere, dicit unicuique innatum esse verecundia moveri, sicubi in novos amicos incidat, qui de matrimonio mentionem faciant:

πᾶσιν τόδ' ἐμπέφυκεν, αἰδεῖσθαι φίλους
καινοὺς ὁρῶσι καὶ γάμου μεμνημένους. [2])

Notatu dignum est virginem quam Xenophon nobis describit, maxime convenire cum ea quam Euripides depinxit. Colloquium Socratis cum Ischomacho habitum rursus fons noster est. Ischomachus Socrati narrat sibi domi nihil agendum esse, uxorem enim rem familiarem administrare. Socrates autem perquam scire vult utrum Ischomachus ipse coniugem ita instituerit an iam a parentibus instructa sit. Hic deinde refert eam, cum nuberet, non plus quindecim annos natam esse et parentes eius interim operam dedisse ut quam minima videret, quam minima audiret, quam minima rogaret. Rursus igitur videmus moris fuisse ut virginem consulto omnia celarent. Ischomachus auctor est eam iam multum profecisse, si lanam tenere atque pallam facere posset et vidisset aliquanto quo modo ancillis opera lanifica daretur; rei autem coquinariae peritissima erat.[3]) Sicut poetae,

---

[1]) ibid. 837—38. [2]) ibid. 839—40. [3]) Xen. Oec. VII. 3—7.

ita Xenophon σωφροσύνην in virgine laudat. Nempe, cum Ischomachus uxori dixit quaecumque uterque intulerit communia esse atque illum plura contulisse qui foret socius optimus, nova nupta ex eo quaerit quomodo ei adesse possit: τίς δὲ ἡ ἐμὴ δύναμις; ἀλλ' ἐν σοὶ πάντα ἐστίν· ἐμὸν δ' ἔφησεν ἡ μήτηρ ἔργον εἶναι σωφρονεῖν.[1])

IV. Postremo virtutes quae in universum in muliere laudarentur consideremus.

Supra (sub I) de virtutibus egimus quae mulierem in vita publica ornare putabantur atque vidimus summam eius virtutem fuisse: nihil agere. Sed praeter illas virtutes quae sunt domi manere, tacere, σωφρονεῖν et verecundam esse, etiam nonnullae afferri possunt quae in mulieribus in universum laudabantur.

Postquam enim Alcestis affirmavit, se paratam esse pro Admeto mori ancilla dominam laudans narrat quomodo vitae tempora suprema peregerit. Discedit a lecto geniali; liberos qui eam lacrimantes retinent, in vicem osculatur; tum famulos et ancillas valere iubet, qui misericordia commoti dominam deplorant. Neminem neglegit, nemo ei humilior videtur, quin eum allocuta sit et audierit:

πάντες δ' ἔκλαιον οἰκέται κατὰ στέγας
δέσποιναν οἰκτείροντες, ἡ δὲ δεξιὰν
προύτειν' ἑκάστῳ, κοὔτις ἦν οὕτω κακὸς
ὃν οὐ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν.[2])

Unde sequitur ut *comitas* in muliere magna laude digna haberetur. Praeterea eadem narrat Alcesten ἄκλαυστον, ἀστένακτον postremum aras adiisse;[3]) hic igitur *animi moderatio* laudatur. In tragoedia denique

---

[1]) ibid VII. 14. [2]) Eur. Alc. 192—196. [3]) ibid. 173.

c. t. Heraclides, chorus *audaciam* Macariae celebrat quae pro fratribus se morti offert. [1])

Graecos qui artium liberalium amantissimi erant, primum *pulchritudinem* muliebrem magni aestimasse ex sese intellegitur.

Apud Euripidem nonnulla dicta inveniuntur quae id probare videntur, velut Admetus affirmat nullam mulierem e nobiliore familia natam neque pulchriore statura esse quam Alcesten:

οὐκ ἔστιν οὕτως οὔτε πατρὸς εὐγενοῦς
οὔτ' εἶδος ἄλλως εὐπρεπεστάτη γυνή. [2])

Andromache vero Hermionae dicit *non pulchritudinem sed virtutem* virum obstrictum tenere:

οὐ τὸ κάλλος, ὦ γύναι,
ἀλλ' ἀρεταὶ τέρπουσι τοὺς ξυνευνέτας. [3])

In fragmento quoque Euripideo quaeritur quid formosa uxore alicui opus sit nisi ingenio valeat:

εἰ νοῦς ἔνεστιν· εἰ δὲ μή, τί δεῖ καλῆς
γυναικός, εἰ μὴ τὰς φρένας χρηστὰς ἔχοι; [4])

In ipsa quoque vita mulierem pulchritudinis causa domum duci Xenophon commemorat, cum Socratem dicentem facit deos hominibus id quod maximi momenti sit negasse, sc. divinationem, ita ut aliquis qui mulierem formosam uxorem duxisset, nesciret num se dolore aliquando afficeret. [5]) In mulieribus bona et mala, in quas Hercules in bivio incidit, inter virtutes primum pulchritudinis mentio fit, deinde *animi libertatis, pudoris,* σωφροσύνης,: καὶ φανῆναι αὐτῷ δύο γυναῖκας προσιέναι μεγάλας, τὴν μὲν ἑτέραν εὐπρεπῆ τε ἰδεῖν καὶ ἐλευθέριον

[1]) Eur. Heracl. 570.
[2]) id. Alc. 332—333.
[3]) id. Andr. 207—208.
[4]) id. fr. 212.
[5]) Xen. Mem. I. 1. 8.

φύσει, κεκοσμημένην τὸ μὲν σῶμα καθαρότητι, τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ, τὸ δὲ σχῆμα σωφροσύνῃ.[1])

Xenophonte auctore Agesilaus, rex Spartae in colloquio quod cum Coty, rege Paphlagoniae, habuit lenonis partes egit. Primum enim Sphithridatem exsulem nobilem sollicitaverat' num Cotyi filiam nuptum dare vellet, quod ei valde placebat; deinde Cotyn monuit virginem insigni pulchritudine esse, quod is concessit; quo facto Agesilaus: συμβουλεύσαιμ' ἄν σοι, inquit, τὴν παῖδα ἀγέσθαι γυναῖκα, καλλίστην μὲν οὖσαν, οὔ τί ἀνδρὶ ἥδιον;[2])

In Isocratis oratione quae inscribitur Helena, complura dicta inveniuntur quae indicant pulchritudinem sua ipsius gratia magni aestimatam esse. Velut Isocrates affirmat Iovem Helenam multo magis coluisse quam Herculem quia huic robur daret, quod vi tantum aliis imperare posset, illi vero pulchritudinem quae suopte ingenio ipsum robur superet.[3])

Iam supra (p. 141) commemoravi Socratem censuisse mulierem quae pro parte sua rei familiaris administrationis particeps sit viro omnino parem esse, atque idem etiam in aliis rebus ingenia virile et muliebre aequa ac paria esse aestimat. In Xenophontis convivio enim haec invenimus: saltatrix convivis Calliae artem ostendit succinente tibicina; duodecim trochi ei porriguntur, quas inter saltandum sublime iacit, ita ut unumquemque iactum sic metiatur ut ad modos tibiae eos excipiat. Socrates artem eius miratus contendit indolem muliebrem virili minime inferiorem esse, sed opus tantum feminis esse ut vires exerceant.[4])

---

[1]) ibid. II. 1. 22. [2]) Hell. IV. 1. 7. [3]) Isocr. X. 16. cf. X. 14. 18 et 39. X. 54: κάλλους γὰρ πλεῖστον μέρος μετέσχεν, ὁ σεμνότατον καὶ τιμιώτατον καὶ θειότατον τῶν ὄντων ἐστίν. [4]) Xen. Conv. II. 9.

Tabula virtutum quae in muliere laudantur confici potest ex indiciis quae inscriptiones sepulcrales praebent. Hic imprimis σωφροσύνη laudabilis ducitur, e. g.

Ἥδ' ἔθανεν προλιποῦσα πόσιν καὶ μητέρα σεμνήν
καὶ κλέος ἀθάνατον σωφροσύνης ἔλιπεν.[1])

Altera haec est:

Οὐχὶ πέπλους, οὐ χρυσὸν ἐθαύμασεν ἐμ βίῳ ἥδε,
ἀλλὰ πόσιν τε αὐτῆς σωφροσύνην τ' ἐφίλει.
ἀντὶ δὲ σῆς ἥβης, Διονυσία, ἡλικίας τε
τόνδε τάφον κοσμεῖ σὸς πόσις Ἀντίφιλος.[2])

E versu primo insuper *laus simplicitatis* intellegi potest.

Illa σωφροσύνη cuius saepissime mentio fit quid tandem sit, locus iam supra allatus ex Euripidis Iphigenia in Aulide nos docet ubi Clytaemestra de se ipsa dicit:

συμμαρτυρήσεις ὡς ἄμεμπτος ἡ γυνή,
εἷς τ' Ἀφροδίτην σωφρονοῦσα.[3])

Praeterea locum qui in Stobaei Florilegio invenitur, quamvis non eiusdem aetatis sit atque ceteri fontes quibus usa sum, afferre velim, quoniam ibi eadem vis in verbo σωφρονεῖν inest: γυναῖκα δὲ σωφρονεῖν χρὴ καὶ μὴ προσδέχεσθαι συνουσίαν ἀσεβῆ παρ' ἄλλων ἀνδρῶν, ὡς ἀπαντώσης νεμέσεως παρὰ δαιμόνων ἐξοικιστῶν καὶ ἐχθροποιῶν.[4])

Αἰδώς quoque inter virtutes nominatur, velut:

Τῇδε φίλην ἄλοχον ὁ δεῖνα κατέθηκε θανοῦσαν,
Λαμπιτὼ αἰδοίην, γῆς ἀπὸ πατρωίης.[5])

---

[1]) I. G. II. 3. 3086. [2]) ibid. 3619. cf. ibid. 1687. 2477. 3790. 3897. [3]) Eur. Iph. Aul. 1158—59. [4]) Stob. Flor. II. 44. 40. [5]) I. G. I. 477. Infra annotata sunt haec: Patet eum, qui posuit monumentum non Atticum hominem, verum e Ionica aliqua civitate oriundum fuisse.

Item εὐσεβεία, e. g.:

Καὶ ἐγὼ τοῦδε ἀνδρὸς ἔφυν καὶ πάντα ὁμοῖα
γήρᾳ καὶ Φροντίδι εὐσεβίας ἕνεκα.[1])

In alia inscriptione δικαιοσύνη laudatur:

Ἐνθάδε γῆ κατέχει τίτθην παίδων Διογείτου
ἐκ Πελοποννήσου τήνδε δικαιοτάτην.[2])

Epitheton χρηστή quoque crebro additur, e. g.:

Σῆς ἀρετῆς μνημεῖα, θεοφίλη, οὔποτε λήσει
σώφρων καὶ χρηστὴ καὶ ἐργάτις πᾶσαν ἔχουσα ἀρετήν.[3])

Postremo mulier quaedam dicitur ἐργάτις et φειδωλός fuisse:

Ἐργάτις οὖσα γυνὴ φειδωλός τε ἐνθάδε κεῖμαι.[4])

Epitheton matris proprium ὅσια fuisse videtur et σεμνή;[5]) hoc sacerdoti quoque tribuitur.[6])

Ex inscriptionibus igitur sepulcralibus hanc tabellam virtutum conficere possumus:

σώφρων
αἰδοῖος
εὐσεβής
δίκαιος
χρηστή
ἐργάτις
φειδωλός.

In litterarum monumentis haec virtutes commemorantur: Virtutes muliebres in vita publica:

domi manere
pauca loqui
σωφρονεῖν
verecundam (αἰδοῖον) esse.

---

[1]) I. G. II. 3. 2724. cf. 2225, 2477. [2]) ibid. 3111. cf. 3959. [3]) ibid. 3790. cf. 2729, 3385, 3399, 3459, 3859, 3931, 3959, 4109, 4112, 4144. [4]) ibid. 4014. [5]) ibid. 2920 et 3086. [6]) ibid. 2116.

Virtutes matronae:
reverentem erga maritum esse
marito indulgere
rem familiarem bene administrare.
Virtutes virginis:
Castitas
σωφροσύνη.
Virtutes mulieris in universum:
Comitas
animi moderatio
audacia
pulchritudo
nobili loco natam esse
animi libertas (ἐλευθερία)
puritas (καθαρότης).

In his artibus sive bonis sive malis percensendis illud miramur bonam valetudinem et corpus robustum nusquam in litteris exoptari, cum Platoni et Aristoteli atque etiam Xenophonti persuasissimum esset, eugenesin, ut nunc loquimur, plurimum prodesse. Neque usquam pro certo affirmatur mulieri opus esse artibus, quae bonam educatricem ac liberorum magistram eam reddant.

At tamen locus quidam ex Alcesti demonstrat filiam in matre praesidium putavisse, cum filius patrem potius in auxilium vocaret.

Alcestis enim antequam a morte abigitur his verbis filiam alloquitur:

καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν,
σὺ δ' ὦ τέκνον μοι, πῶς κορευθήσει καλῶς;
ποίας τυχοῦσα συζύγου τῷ σῷ πατρί;
μή σοί τιν' αἰσχρὰν προβαλοῦσα κληδόνα
ἥβης ἐν ἀκμῇ σοὺς διαφθείρῃ γάμους.

οὐ γάρ σε μήτηρ οὔτε νυμφεύσει ποτὲ
οὔτ' ἐν τόκοισι τοῖσι σοῖσι θαρσυνεῖ
παροῦσ', ἵν' οὐδὲν μητρὸς εὐμενέστερον.[1])

Matris igitur est filiae pudicitiam custodire atque maternum officium tum erit pulcherrimum, cum filia ipsa mater facta erit.

Si quis forte credat artes quas deinceps enumeravimus proprium et peculiare mulieris Graecae esse fallitur. Licet non omnibus numeris reddant perfectam probae mulieris speciem, qualem animo et cogitatione hodie fingere solemus, miro tamen modo congruunt cum illis, quibus Paulus Merula in epistula amatoria anno MDLXXXIX scripta sponsam suam nobis depinxit, cuius epistulae partem describo ut ipse lector iudicare possit an non pleraeque artes, quas Graeci laudabiles putabant, a Batavis quoque magni aestimatae sint.

„..... Verwachtende, ook wenschende en God biddende, dat de merkteekenen van een goede, getrouwe en oprechte vrouwe in uw persone moge gespeurd en gevonden worde: ik hebbe u van harte lief, en drage u toe eene uitnemende affectie....., ten eerste om Gods wille, ten anderen om uwe persone zelve.....

Om uwe persone zelve, want ik alree in u ben speurende meest alle die deugden, die in eene goede huisvrouwe behooren te wezen, te weten reinigheid, onderdanigheid, zachtmoedigheid en lijdzaamheid; ik vinde, dat gij zijt veelwetende, weinig sprekende, meewaardig met een ieder, volcomen in zaken der eere, beminster van eerlijk gezelschap, stilzwijgende, bedenkt in hetgeen gij zegt, schamende in alles gij doet, eerlijk van leven,

---

[1]) Eur. Alc. 311—320.

hatende alle lichtvaardigheden, dewelke meer betamen den rougen en wulpse lieden, dan eerlijke gehuwde personen. Uwe ouders, wezende een exemplaar van oprechtigheid, hebben u tot nog toe als bij de hand gehad, omme te leiden en te houden op den weg, welke tot de deugd alleen is leidende, ik hebbe mij beneffens hen gevoegd en u genomen als bij de andere hand, om vorder met u derwaerts te spacieren, onder de conduite en leidinge van dezelve, laat ons daaromme in alles trouwelijk helpen en bijstaan, laat ons onze kinderen (die ons de barmhartige God, als ik verhope, zal verleenen) in de waarachtige kennisse en vreeze Gods hem ter eere en tot harer zaligheid opbrengen, laat ons ter wederzijden alle booze lusten vermijdende met eene geruste en goede conscientie leven....."[1])

---

[1]) Een minnebrief uit de zestiende eeuw, door Dr. Johanna M. Sernée, Haagsche Vrouwenkroniek 9 Febr. 1918.

THESES.

I.

Veram significationem signi nocturni ex quo incipitur Agamemnon Aeschyli bene perspexit A. W. Verrall in introductione sua ad hanc fabulam.

II.

Iniuria Euripides in fabula Electra vs. 503—547 notis, quibus in Aesch. Choeph. Electra Orestem agnoscit, illudit. (Vide Verrall, introd. ad Choeph. p. 33 sqq.)

III.

Herodotus I. 8. *οὗτος δὴ ὧν ὁ Κανδαύλης ἠράσθη τῆς ἑωυτοῦ γυναικός.*

Minus recte v. d. Henricus Stein in editione p. 12 vocabula *τῆς ἑωυτοῦ γυναικός* quasi per prolepsin posita esse contendit.

IV.

Iniuria v. c. J. J. Hartman vocabulum *πολλά* in Lysiae oratione XIX. 33 mutavit in *πέντε*. (cf. ibid. 9.)

V.

Lucianus, Ἁλιεύς 11. *εἶτα ἐντυγχάνων ἄν τισι τριβώνια περιβεβλημένοις καὶ πώγωνας βαθεῖς καθειμένοις παρ' αὐτῆς ἐκείνης ἥκειν φάσκουσιν, οἰόμενος εἰδέναι αὐτοὺς ἀνηρώτων.*

Lege: *ἀνδράσι.*

VI.

Musaeus, Hero et Leander vs. 81—82.

οὐκ ἂν ἐγὼ κατ' Ὄλυμπον ἐφιμείρω θεὸς εἶναι
ἡμετέρην παράκοιτιν ἔχων ἐνὶ δώμασιν Ἡρώ.

Lege: ἠμερίην.

VII.

Loco Taciteo (Ann. VI. 34: nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum, sive id animal seu navis insigne fuit) motus Hugo Grotius (Hist. II p. 142 in fine) iam suspicatus est, id quod nostra aetate demonstrare conatus est v. cl. van Leeuwen (Mnemosyne 1901. p. 121 sqq), fabulam de equo Troiano ortam esse ex antiquiore narratione, qua Achillis nave Troia capta esse ferebatur.

VIII.

Oraculum, quod Pyrrho ab Apolline datum esse Ennius tradidit:

Aio te, Aiacida, Romanos vincere posse,

ipse Ennius excogitasse videtur.

IX.

Catullus II. 5.

Cum desiderio meo nitenti
Carum nescioquid lubet iocari.

Verba desiderio meo nitenti significant: nitenti quia me desiderat.

X.

Seneca, Epist. ad Lucilium LXXXII. 5: „philosophia circumdanda est, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non *transit*".

Lege: *frangit*.

XI.

Duo sunt verba putandi, quorum alterum (derivatum ab adiectivo putus = purus) p u r g a r e, alterum i n c i d e r e significat. Ex hac notione significatio *rationis conficiendae* derivata est. Perperam igitur grammatici antiqui contenderunt *rationem putare* idem significare quod *rationem purgare*. (Glotta X. Band 3 Heft 1919 p. 161).

XII.

Iniuria J. H. Lipsius (Das Attische Recht und Rechtsverfahren p. 478) contendit societatem Atheniensem digamiam non novisse.

XIII.

De verklaring, die Alfred E. Zimmern (the Greek Common Wealth p. 341) geeft voor het late huwen der Atheensche mannen is niet afdoende.

XIV.

Het feit, dat de Grieken zulk een groote waarde hechtten aan 't bezit van een γηροβοσκός hangt niet alleen samen met de overheersching van het kleingrondbezit, maar is bovendien een overblijfsel uit de opvatting, dat alleen arbeid recht geeft op levensonderhoud.

XV.

De vader heeft te Athene slechts een moreele, geen wettelijke verplichting zijn dochter een bruidschat te geven (zie Beauchet, le Droit privé de la République Athénienne I. p. 262 sqq.).

XVI.

Ten onrechte concludeert Henri Francotte (Mélanges de droit public grec p. 205) uit het decreet voor de Sidoniërs (I. G. II. 86) en uit dat voor de Acarnaniërs (I. G. II. 121) dat deze geen metoeken zijn.

XVII.

Ofschoon Seneca in zijn Epistulae Morales ad Lucilium met nadruk verkondigt dat slaven en vrijen gelijk zijn, blijkt uit enkele uitdrukkingen in ander verband gebruikt, dat hierin leer en werkelijkheid zich bij hem niet geheel hebben gedekt.